

Universitätsbibliothek Mannheim

Lvdovici Henrici Lomenii, Briennae Comitiss, ... Itinerarium

**Loménie de Brienne, Louis Henri de
Parisiis, 1662**

urn:nbn:de:bsz:180-digad-890

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

C.B.

10
gef 53
9.50


H, 254 D 24

Mit Vortitelill.

[1] Bl., [1] gef. Bl.:

Jll., Kt.

22. 4
1



1682. 8. Valken-
burg. 1701. n.
1194. 3. flor.
D. 1660. In 12.
Dubois. n.
11991. 2 fl. 16.

D. 1660. In 12.
pages 39.
Vogt, 1754.
Ditio altera
an. 1661. in 8.
auctiores. pl
end: d: ior. j. em. p.

Lomvii
Invenit.
D. 2. 1662.
8. m. 2. fig.
Kotzel. n.
2811. 3.

D. 1667.
fig. gall.
Marr. n.
1668. 1 fl. 10.
2. fl. 1667.
8. p. 1667.
a. 1667. 1667.
n. 1667. 30 ka.

in illa quod
am et asprata,
imprimis locis
quibusdam salde
obsecamus De
populis Hetro
cotjicis.

Id. Paris. 1660.
In 12. pp. 39.
Id. aut. Paris.
1682. 8°. festaq.
Anal. 1750. p.
539. Libor: rariot.
Id. 1667. 8°. Hen-
bach. 173. 100. p. 173
80° 42.

Id. 8. 1662.
8°. G. G. G.
1769. n.
2615. 4 fl. 7.

Id. 8. 1662.
8°. W. W. W.
1692. n. 135.
2 fl. 2.

Id. 1662. 8.
Langlet, 909
10. 150. 366.
cur. cur. et
stim. 16.
patin. et
est. Lautour

LVD. HEN. LOMENII BRIENNAE COMITIS
REGIA CONSILII ACTIS. ET EPISTOLIS.
ITINERARIUM.



C. de Bran delin.

Egid. Roussel del. 1663

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

LVDOVICI HENRICI
LOMENII,
BRIENNÆ COMITIS,
REGI A CONSILIIS,
ACTIS, ET EPISTOLIS,
ITINERARIVM.

Editio altera auctior & emendatior.

Cyranic CAR. PATIN, D. M. P.



PARISIIS,

Apud **CLAVDIVM CRAMOISY**, via Diui Victoris,
sub Sacrificio Abelis:

Et **IOANNEM DV BRAY**, via Iacobæa,
sub Spicis maturis.

M. DC. LXII.

Cum Privilegio Regis.

IVOVICI HENRICI

TYCOGRAPHVS

LECTORI

BRUNNIAE COMITIS

... tam facile accepisti : que favoris aura
non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit

... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit

BIBLIOTHEK
DESBILLONS
MANNHEIM

... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit

... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit
... non propter hunc et quod non accepit

Præcipiti calamo plaudo, & succenseo, Lector,
Qui mihi tam longum, tam breue fecit iter.

Vnum Te moneo, huic Editioni, cui nihil deest, voluisse Lomenium aliquid deesse; quod scilicet in Vvestrogoticis siluis, per errabunda vestigia, morosa viapellendis tædiis iuueniliter luserat, sapientiorematatem & pudorem suppressisse. Liceat modo mihi eadem vota, quæ prior Præfatiuncula continet, iterare: valeat & crescat fama insignis Viri, dum optimi nomen consensescit in Patre. At Tu qui leges, hoc voue & precare, ut tanta rerum notitia validus, à dente liuoris iniqui intactus annet & perennet, fruaturque faustitate perpeti. Augurio, Illustrissime Brienne, hæc omnia firmo: Cum Lupara Moles iacebunt situ rupta, & cum ad pontem Sequanae subterlabentis aeneus Eques puluis erit.

Te tamen ora legent, & secum plurimushospes
Ad patrias sedes hæc tua scripta feret.



AD

ILLVSTRISSIMUM
COMITEM DE BRIENNE,

Cum Itinerarium suum edidisset primum:

EPIGRAMMA.

VT vidi lepidum aureum libellum,
Puri mellis & elegantiarum,
Romani falis Atticique plenum:
Ut volui semel ac semel reuolui,
Vnum mi toties tuis, BRIENNE,
Visum floridulis deesse chartis
Quod non feceris vsque longiores.
Sed quod deesse queror tuo libello,
Id postquam addideris, manebit idem:
Nam quantum addideris breui libello,
Manebit breuis, & politus idem.

DE LENGLET.

IN ALTERAM

EIVSDEM ITINERARII

EDITIONEM,

Parodia Phaseli Catulliani.

LIBELLVS iste, quem stupetis Aulici,
Ait fuisse codicum breuissimus:
Nec vllius tumente mole codicis

ã iij

Nequisse maior ire, siue sensibus
Libros decet putare, siue vocibus.
Et hoc negat superbus ampla Liiij
Negare scripta, principive Tullij,
Terentiive, melleive Cæsaris,
Et inlyti Nepotis, & Paterculi.
At iste nunc libellus, vna vix fuit
Et altera ante pagina, vnico mihi
Frequenter alterove lecta spiritu.
Caput Lutetia orbis, alta Lupara,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait libellus: & superbam originem
Tuis habere gloriatur a typis,
Tuo profectus euolasse de sinu.
Et inde per tot ampla regna, LOMENT
Decus tulisse, Eoa siue Atlantica
Nataret æquora, vtriusque seu simul
Cubile solis hinc & inde viseret:
Nec ignis efea, nec cucullus Indicæ
Fuisse mercis, ante sit focum licet
In vltimaque sæpe lectus India.
Et hæc fuere, eruntque; nam sit amplior,
Tuæque ditat vrbis elegantias,
Gemelle Romule, & gemelle Romuli.

GABRIEL COSSARTIVS S. I.

*Hanc parodiam cum mittere differret Autor,
moram his versiculis excusavit.*

PHASELVS ille, quem Catullus edidit,
Tibi, BRIENNE, quod videtur elegans,
Quod hunc amatque perditeque deperis,
Proboque, gratulorque: sed parum placet,

Quod æmulator huius esse carminis
Te id imperante cogor, eius & modos
Sequi canendo, desueta sit licet
Camæna pridem; & huius elegantia,
Facetioris immemorque carminis.
Et exigis seuerus vsque creditor
Iambum, cumque, desit vt nihil, merum;
Tibique dicis hacce luce debitum.
Nec id negamus; immo si nec est satis
Bis obligasse sponse me tibi,
Te id quaterque spondeo: at moram dari
Breuem reposco, quam negare sit nefas:
Atrocioris esset istud ingeni.
Vale ergo, dum incalescat, & breui obsequens
Meam Camæna liberet tibi fidem.

COSSARTIVS S. I.

IN ITINERARIVM

ILLVSTRISSIMI

BRIENNÆ COMITIS,

CARMEN.

IAM licet infidos pelagi contemnere fluctus
Arctoasque niues, gelidumque errare per
axem

Innocuo cursu: dum tot discrimina rerum,
Et totam breuibus foliis complecteris Arcton:
Quo tua te pietas, & honesti sancta cupido
Ciuiles inter strepitus & classica duxit,
Scilicet & nostrum Disvlciscentibus orbem.

Gallia feruebat cæco vesana tumultu,

ã iiij

Et sua vertebat validas in viscera dextras,
Indocilis flecti, fatique inimica potestas
Mutua discordes animos in bella ciebat.
Tu regni exosus furias, ciuesque nocentes
Anxius, & patriæ tristes spectare ruinas,
Quæfisti externis virtutum semina terris
Pacatas exempla petens meliora per aulas.

Ingeritos populis libuit deprendere mores
Mercurio celebres, & docta Pallade Belgas,
Limitibusque suis procul, insultare feroces
Gotthos; assuetos bellis, & acinace fortes
Visere Sauromatas: libuit spectacula rerum
Et terræ & pelagi longos decurrere tractus.
Pannonias arces, regnataque rura superbis
Cæsaribus: placidi nunc lustras littora Rheni:
Nunc altas Venetum turres, vrbemq; natantem,
Aut lenes Tyberis ripas, Capitoliaque alta
Virtutum monimenta, & facta ingentia voluens.
Seu præmis inuicti Gustavi nobile marmor,
Extera qui tumidos ducens in bella Suecos
Audaces Aquilas lethali vulnere fixit.
Ingentesque super Germanæ stragis aceruos
Occubuit, fatisque suis post funera vicit.
At nunc exiguus cinis est, & nominis vmbra
Vana sui. Seu per gelidi fastidia cæli
Augustam Vpsaliam properas, vbi regia scepra,
Et patriam posuit nuper Christina coronam.
Quæ mox fallacis fugiens ludibria cultus
Impleuit sacre pietatis imagine Romam,
Claraque magnorum ridens diademata Regum,
Errauit totum plusquam Regina per orbem.
Quid tibi decursos hyberno sidere Lappos,
Extremamque Arcton memorem? quid frigora
summi

Explorata poli? molli te littore deinde
Vexit lenè fluens per amœnas Vistula ripas,
Varſauiaque dedit regales cernere luxus.
Hic Cognata tibi populos Aloïza feroces
Temperat, & belli pacisque experta labores,
Partitur varias magno cum Coniuge curas,
Gallica Sarmaticis commendans lilia regnis.

Sed quid opus rigidos casus & longa viarum
Tædia? quid glacies, sæuique pericula cæli
Pandere? nunc mihi dulcis amor, mollisque vo-
luptas

Scriptum iter. Hæc lætos ignes mihi concitat
arctos

Quamquam, o Pieriis, LOMENI clarissime, curis,
Quis putet arctos hyemes & saxa niuosi
Alta iugis, amnesque æterno frigore victos,
Te quondam & canas pedibus pressisse pruinas?
Crediderim gelidum tibi mansueuisse Bootem,
Subsedit tibi glaciale gurgite Nereum,
Felices auras adspirauisse Fauoni,
Et creuisse niues inter violasque rosasque.

Usque adeo horrentis reparas incommoda
mundi,

Et roseum mihi fingis iter, lepidoque libello
Ver mihi perpetuum pingis, floresque Latini
Eloquij. Volucres hunc circumferte Camœnæ;
Quique externarum pandit spectacula rerum,
Externas rapiat magna in spectacula gentes.

At tu, Francigenum decus immortale,
BRIENNI,

Qui quondam teneræ primo sub flore iuuentæ
Assueſti penetrare aulas, & splendida Regum
Limina, non vacuus rerum, curisque solutus

Errabas, Varias regnorum discere leges,
Mens erat, & sensim varios inuisere Reges,
Dum prodesse Tuo possis, patriamque tueri
Actorum assiduus secretorumque Minister:
Atque ita longinquis fueras qui clarus in auris
Iam patrio melior tua lumina diuidis orbi.

Sic se dum rutilo subducit vespere Titan,
Non resides radios, & inertia lumina condit
Littore in Hesperio: requiescere nescius vnquam
Alternis alium flammis percurrit olympum.
Post vbi semotas mundi radiauerit oras
Crescentem roseo lucem spectabilis ore
Colligit, & nostro fulgentior incubat orbi.

FLECHIER.

IN ILLUSTRISSIMI

BRIENNÆ COMITIS

ITINERARIUM.

NON est libellus iste, Lector, est liber;
Cui quot insunt paginae, per me licet
Totidem libellos, siue libros censeas:
Tot vasta terræ spatia, tot vagos viæ
Tractus inhospitalis, ipso nomine
Tractus tremendos, absque mellitissimo
Latinitatis rore perfusi forent,
Inexplicabili explicat compendio,
Lege & obstupesce, & solue nodum, nec tibi,
Nec hæsitanter, vel mihi solubilem;
An præter hoc iter exarasse, an hunc librum!
Vidisse passim nempe quæ scribas domi,

Non illa laudum, dico; laudatissima est:
Sed ista; quæ sic videris, sic scribere:

CONSTANTER.

ERRATA Pag. 20.

VBI est, Batauos vni & vnico Deum
Nepoti Atlantis supplicare; dictio est
Mendosa; scribe, supplicant vni Deo.

BATAVVS.

ILLVSTRISSIMO VIRO
LVD. HENR. LOMENIO
BRIENNÆ COMITI,
IN EIVS ITINERARIVM,
ELEGIA.

*Hortatur eum vt litteras quarum sic amans est,
etiam plus amet.*

TEMPORA Lomenidæ frondenti cingite
lauro
Pierij vates, Pieridesque Deæ.
Ille viam ad vestros scribendo affectat honores,
Cœpit & in castris, Phœbe, merere tuis.
Dumq; tot & mores populorum scribit, & vrbes,
Ingenij mores exprimit ille sui.
Nam seu spumanti currentem vortice Rhenum,
Seu lustrata maris littora, Dane, tui:

Aufriadumque aquilas, & tot regnata sub
ipsum

Danubium magnis oppida Cæsaribus:
Seu dicat violentum Albim, celeremque Visur-
gim,

Et quæ Mænalis terra sub axe riget:
Siue vrbes Italas, & magnæ mœnia Romæ,
Cuius diuinas Orbis adorat opes:
Seu quidquid pelagi, quidquid telluris obiuit,
Romano memoret tam grauis eloquio.

Huic veteri dignus Latio, dulcedine mira
Ingenuo nitidus currit ab ore lepos.
Non tam purus aquæ, puro sub gramine riuus,
Non tam mellitis defluit Hybla fauis.

Quos non clamores faceret, si dotibus istis,
Inter nos partes vellet habere suas!
Nam tali ingenio, cœptis tam grandibus, olim
Gloria Musarum magna, BRIENNE, fores.
Quin age, te quamuis commendet splendor
auorum,

Aspernare tuas, nos imitatus, opes.
Nam nec opes, nec opum nos tangit vana cu-
pido,

Quique sumus vates, turba superba sumus.
Despice fortunam, mihi crede, nec illius vn-
quam

De thuris fumo læta sit ara tui.
Te maiora vocant, nil iam vulgare putantem,
Iam venit capiti laurea sacra tuo.

Et Dea, Pieriæ quæ maxima præsidet vndæ,
Iam tua sæpe suis ora rigauit aquis.
Quid dubitas? en fama suo super ardua curru
Constitit ante tuas ambitiosa fores.

Nec tibi deinde fauor, fortunaque nominis
obster,

Nec quæ Castalias negligit aula Deas.

Sunt tibi, sunt animi dotes; tu dotibus istis
Vtere, & ingenij conditione tui.

Esse potes, si te Musarum numina tangunt,
Pierio lumen, præsidiumque choro.

Perge ergo, utque facis, Musarum sacra fre-
quenta,

Ingenij pereant ne bona tanta tui.

REN. RAPINVS, S.I.

IN ILLVSTRISSIMI

BRIENNÆ COMITIS

ITINERARIVM.

ODE.

PARVE Liber, doctæ facundæ per ora cateruz,
Perque manus volitare, secundo

Ipede, quem veterum clara nil lucis egentem,
Inuidia vel teste Quiritum,

Excipiet gaudens nimium Romana iuuentus:
Quemque leget magis omnibus vnum.

Cui pariter, cuius populos describis & vrbes
Assurget gens extera longe:

Æternas & aget grates, quod prisca sacraris
Æterno monumenta labore.

Vade igitur dextro Liber alite, vade vicissim
Eximij tot splendida dona

LOMENII totum fama vulgare per orbem.
Ecquis enim testudinis aureæ,

Ipse meo dudum lateri quam Cynthus autor
Suspendit, mihi plenius & qua
Dat resonare, nouo quis carmine dignior vs-
quam,

Quis Procerum mihi sanctior alter?
Præstantum puer ille virum certabat honori,
Tum claræ spes maxima gentis,
Nunc decus eximium, quando ingrediente iu-
uenta

Maturis Heroa parentem
Consiliis æquare sagax; senioribus annis
Emeritum subducere magno
Par oneri; qualis fesso suffectus Atlanti
Alcides latis vaga cæli
Sidera torquet agens humeris, duratque labori
Perpetuo voluentis Olympi.

CAROLVS DV PERIER.

IN ILLUSTRISSIMI

BRIENNÆ COMITIS

ITINERARIUM.

VIs scire quo stent exteri status pede?
Pedem domo non effer, huc mentem
refer.

Libellus iste promicondus omnium est,
Hic te docere quod cupis solus potest.
En tantus in paruo Autor enitet libro.
In Galliæ quantus cluet Diario.
Mox publica raræ penu prudentiæ,
Nec hæc Viri laus inclyti primaria est

Hoc laude, gloriaque maius maxima
Regi suo fidelis est & vtilis.

FRISCHMANNVS.

IN ITINERARIVM

ILLVSTRISSIMI

BRIENNÆ COMITIS.

OCCIDVVM longis quod inisti passibus
orbem

Arctoa ad Libycam qua patet ille plagam.

Hæc tibi cum multis laus est cursoribus æqua,

Quorum ope dispositis littera currit equis.

Quod varios populorum habitus describis &
ora,

Fluminaque & montes, oppida, rura, domos.

Hæc tibi cum multis laus est scriptoribus æqua,

Quos vix, ampla licet bibliotheca capit.

Sed quod tam facili decursu, tamque Latino,

Eloquij manant pura fluenta tui:

Quod mores hominum expendisti, fœdera,
leges,

Hæc tibi cum paucis gloria rara venit.

MVNERE quodque TVO impendis Regi pa-
triæque

Tot freta, tot terras, laus ea tota tua est.

FRANCISCVS OGERIVS.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
LVD. HENR. LOMENIVM,
BRIENNÆ COMITEM,

*Cum arcolum Opusculum de Europa a se
perlustrata denuo ederet.*

DVM peste inuidiæ, tristique afflata veneno
Mufarum sterilem turba relinquit hu-
mum.

Dum tota studiis intermorientibus Vrbe
Barbaries atris celsa triumphat equis.

Thuanidem Gallis præstans, amplecteris artes
Quas hic depositas vltima fata trahunt.

Tu prisca, BRIENNE, nihil cessare Latinis,
Romanum eloquium sub tua signa vocas.

Nil Tibi cum triuio quicquam est, arcana po-
tentum

Pandis, & ex imis fontibus hausta doces.
Miramur pariter, pariterque addiscimus omnes,

Nec tantum obstricta est Gallia nostra, tibi.
Te quoque Rangifera celebrant regione La-
pones,

Et tentat per te barbara turba loqui.

BENIAMINVS PRIOLVS.

AD

AD

LVD. HENR. LOMENIVM

BRIENNE COMITEM V. I.

REGIA CONSILIIIS,

ACTIS ET EPISTOLIS,

Cum Itinerarium typis mandaret.

O D E.

PROGNATA cælo pectora, flammei
Traxere secum particulam ætheris,
Hinc impetu ducuntur, vno
Nescia stare loco LOMENI.

Hinc te tumultus inter, & obuios
Regni furores, ac popularium
Æstus procellarum, calentes
Sole alio peragrare terras,

Vltro paternis sedibus exulem
Non indecoro perpulit ambitu
Innata virtus, hinc feroces
Per populos, & iniqua mundi,

Erroris author duxit amabilis,
Visurum in ipso fonte Borysthenem
Niuisque cunas, & pruinae,
Et gelidas aquilonis arces;

ẽ

Hæc turbulentos per freta Daniæ
Periculis diruit obices,
Cum sæuam inhorrescens, labantibus
Ingrueret pelagus carina.

Hæc Millakulæ fœda Mapalia
Alto rigentem Finnoniam gelu,
Tristesque sub casa latebras
Et tetricos sine sole saltus,

Cælique demum sustinuit minas,
Putresque morbos, dum Scaniæ iuga
Perambulaturus subires
Et Gothicam penetrans ad Arcton!

Hic hospitem te atque indigenam simul
Externa vidit Regia, ludicras
Implere pompas, additumque
Principibus stupuit Suecis,

Cum membra pannis tectus agrestibus,
Scite profanos excuteres iocos,
Et destinatum fungereris
Incolumi pietate munus.

Te sumptuoso Varfatiæ excipit
Hinc apparatu, prodiga munerum
Regina, nec cognationem
Purpura LOMENTIAM erubescit.

Quin ire pergis mille solo & falo
Functus periculis, atque iterum placet
Grandem redordiri laborem:
Nec ratibus, volucrive carru,

Viam retexis, sed speciosius
Subnixus alis præpetis ingeni,
Arctoa lustrando reuifis
Regna, & hyperboreos recessus,

Nempe eruditi candidus eloqui
Doctis renarras vocibus exteras
Leges, peregrinosque ritus,
Et tacitis speculator audax

Arcana regnorum in penetralibus
Scrutaris, & qua nobilis institor
Mercede ditescis laborum,
In patriæ decus hanc rependis.

Hæc in remoto littore Sarmata
Docti sequester perleget otij,
Et aureos linguæ obtupescens
E calamo saluisse riuos.

Præesse dignum gentibus exteris
Dicit B R I E N N V M, qui sapientiæ
Consultus, a diis tantum honesti
Pectoris ingeniique duxit.

Bissena sed quæ sub Cupri-Montio
Virum illaborant millia, si tibi
Sudare certent, ad tuarum haud
Sufficiant monumenta laudum.

MART. BIGVETVS, S. L.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRVM
LVD. HENR. LOMENIVM
BRIENNÆ COMITEM
REGIA CONSILIIS,
ACTIS ET EPISTOLIS,

In eius Itinerarium.

LOMENIO, patrias olim cum linqueret oras,
Visurus gelidæ Martia regna plagæ,
Aonidum fertur dulcis comes ille caterua,
Omne iter, & propria facta notasse manu.
Res probat. Hic nempe est quem nunc mirata
libellum

Doctorum mittit fama per ora virum.
Perlege, lector, opus; dignum ipse fatebere
Diuis,
Mortali scribi nec potuisse manu,

P. PETITVS. D. M.

AD ILLUSTRISSIMUM VIRVM
LVD. HENR. LOMENIVM
BRIENNÆ COMITEM,
REGIA CONSILIIS,
ACTIS ET EPISTOLIS.

ODE.

NON Te remotis gentibus arbitrum,
Summisve regni ponderibus parem
Sacrare tentabo iocosa
Tam leuibis numeris camœnæ.

Id cruditi carminis artifex
Se posse speret, fat mihi candidos
Mores, tot & curas vigentis
Detegere ingenij sagaces.

Per te Latina pristina vindicem
Linguae redibit gloria: pristinos
Romana maiestas resumet
LOMENIO renouante cultus.

Per te vigebit praeeriti fides
Seris in auum sancta nepotibus,
Tuaeque virtutes vigeant
Scriptaque, dum solus astra pascet.
M. PVREVS.

DE
PEREGRINATIONE LOMENIANA.
ELEGIA.

ARCANA imperij cui credis, Maxime Re-
gum,
Consilij Europae conscius ante fuit.
LOMENIVM varias dum nobilis ardor in oras
Omnia lustrantem fert ad vtrumque polum.
Admissus iuuenis sacra in conclavia Regum,
Atque sagax memori singula mente notans:
Momenta explorat rerum, Respublica neruis
Nixa quibus vigeat, quaeque, quibusve cadat.
Quae ratio queat in nostras inflectere partes
Regna, ineant quae clam foedera, quaeve pa-
lam.

Qui nexus animos teneant, quæ vincula pacis,
Sacrorum ritus, iuræque Pontificum.

Doctis quis sit amor Musarum, & Apollinis
artes

Quid pretij inuitet, vel quid honoris alat.
Hæc auide inquirens, frigus contemnit &
æstum:

Contemnit longæ tædia multa viæ.
Vt patriæ atque domus magnos se format in
vfus,

Oblitus patriam deliciasque domus.
Pluribusast illas quid narro, viasque laboresque
Ipse quibus nouit laudis inesse minus.

Maiora affectat doctrinæ pulchra cupido,

LO M E N I V S Q V E magis nobile carpit iter.

Quin & ad antiquam dum fert vestigia Romam
Perdidicit mores, perdidicitque decus.

Perdidicit linguam heroum, qua pectora Tulli
Blandius inflectens rostra, forumque moues.

Maiorum narrat qua Liuius acta suorum,
Et furias Crispus qua Catilina tuas.

Perdidicit quæcumque olim nitida audiit aula
Augusti, pueros perdidicitque sales.

Ac Taciti claro ingenij cum lumine sensus

Obscuros penetrans interiora subit

Consilia, atque dolos damnans, artesque no-
cendi,

Successusque scelus quos parit atque nefas.

Regnandique mali autores quæ splendida lau-
dant

Crimina, regna quibus non bene nixa labant.

Vnum virtutis miratur amabile fidus,

Vnum virtutis laudat amatque decus.

Sic aratos reddens, & partes laudis in omnes
Excurrent, omnis temporis, atque loci.
Theſaurum in proprium condit quodcunque
decoris,

Et micuit quondam, nunc & in orbe micat.

ANT. VERIVSIVS, S. I.

IN ILLUSTRISSIMI
BRIENNÆ COMITIS
ITINERARIUM.

MVLTA breui gaudes, LOMENI, inclu-
ſiſſe libello,
Nempe viatorum debet hic eſſe comes.

CAR. PATIN, D. M. P.

IN EFFIGIEM
ILLUSTRISSIMI
COMITIS DE BRIENNE,
IPSIUS ITINERARIO
PRÆFIXAM.
EPIGRAMMA.

Hic tibi dat pictor vultum ſpectare BRIENNÆ:
Sicupisingenium cernere, volue librum.

Idem alio modo.

Quod potuit pictor, tuareddiditor, BRIENNE;
Qui poſſes animum reddere ſolus eras.

DE LENGLET.
ē iiiij

IN EFFIGIEM
ILLVSTRISSIMI
COMITIS BRIENNÆ, F.

CVIVS in hac micat omnigenæ virtutis
imago,
LOMENIÆ est, quantæ quanta propago
domus!
Cætera si noris, fallit sculptoria, non hic
Filius, exclames, hic Pater est, hic Auus.
Nil ultra conemur? idem est, includere totum
Heroem senis versibus & furere.
CONSTANTER.

IN
EIVSDEM EFFIGIEM.

TETRASTICHON.


Hic sunt lustrati, Lector, compendia
mundi,
Angustosque habitat mens spatiosa lares.
Spemque metumque domans, vitio sublimior
omni,
Expectat quæ sorshis meliora dabit.

K. VV.



LVDOVICI

—
T
.
tis
go
—
m
—
O
lia
or
I
.
go
9
CI



Celle Brujn. delin.

Egid. Raup. sculp. 1662

MAGNUM OPVS! EVROPAM INCLVDIS BRIENÆ LIBELLO
TE BREVIS INCLVDIT PAGINA; MAIVS OPVS.
GAB. COSSARTIVS S. I.



LVDOVICI HENRICI
LOMENII
BRIENNÆ COMITIS
REGI A CONSILIIIS,
Actis & Epistolis,
ITINERARIVM.



NNO M. DC. LII. IX.
Kal. Aug. Ludouicus
Henricus Lomenius,
Briennæ Comes, Regi
tum a Consiliis Actis & Epistolis
designatus, annum agens xvii.

A

2 LVD. HEN. LOMENII
bona parentum venia faustaque
precaione viaticatus , comitan-
te Blondello itineris ac morum
rectore , Lutetia Parisiorum profe-
ctus est. Studio partium distracta
vrbe, ea excedere difficile & intu-
tum. Ergo Aurelianensis & Con-
dæi liberis com meatibus instru-
ctus , viæ se tradit , difficillimis
regni temporibus. Andemantuni
Lingonum quatrinduo substitit. Ibi
certior factus de periculoso Paren-
tis decubitu , & anxius de exitu,
felicioribus tandem nunciis recrea-
tus , Vefontionem petiit , urbem
apud Sequanos. Libera fuit olim,
nunc Hispanici iuris. Ibi veram
findonem , qua Christi corpus in-
uolutum fuit , repositam credunt.
Sanctimonia loci monitus Lome-
nius , numini gratias agit ob resti-
tutam Parenti salutem. Impleto
hoc pietatis officio , biduum im-

pendit lustrandis variis antiquitatis monumentis. Hinc in Alsatiam penetrat, viso Montibelligardo. A loci principe perhumaniter exceptus, litteras commendatitias accepit aduersus vim militum & incerta itinerum. Basileam Rauracorum cogitabamus, cum nos importuna militum manus in caupona de improviso aggreditur in paggo ignobili Valtigouia. Irruunt, armis spoliant, & apprehensis equorum habenis trahunt in siluam. Interrogat decurio, an staremus a partibus Condæi. Respondet Lomenius, Regi se fidum nil tale moliri. Non habetur fides: coeunt inter se, & deliberant, an exutos nos & incermes dimitterent, an trucidarent, an Montem Brisiacum deducerent. Hæc potior visa est sententia. Condæanum militem scribebat tum Susanus comes, Befortij

4 LVD. HEN. LOMENII
præfectus. Inde in nos orta suspi-
cio. Lomenius Charleuoio, qui no-
mine Regis Monti Brisiaco præerat,
per litteras se patefacit. Ille sine mo-
ra obuiam mittit ex familia nobi-
lem, quodcumque contigerat ho-
nesta oratione per eum purgaturus,
& Montem Brisiacum inuitaturus.
Trepidantibus & veniam petenti-
bus aggressoribus Lomenius gene-
rose vindictam remittit. Hinc in ar-
cem deductus, omni officiorum ge-
nere exceptus est. Iam tum Charle-
uoius scelus meditabatur, quod ne-
farie inchoatum, infelicissime ces-
sit. Relicto Monte Brisiaco, Ar-
gentoratum Triboccorum secundo
Rhenodeuchimur. Hæc libera Im-
perij ciuitas, armamentario & turri
sua insignis. Sequenti die Philippo-
burgum, famosum castrum subi-
mus, Gallix trans Rhenum limitem,
Nouiomago Nemetum, Manhe-

mium munimentum olim celebre in Rheni Nierique confluenti, nunc nomen tantum, urbis cadauer & dirutos aggeres ostentans. Tum Bormetomago Vangionum, & Oppenheimio præteruectis, Magontiacum peruenimus pridie Kal. Septembr. explorato apud Oppenheimium loco, quo Gustauus Magnus vado Rhenum cum exercitu traiecit: cuius ex aduerso pyramis erecta tanti transitus fidem facit. Postridie Francofurtum ad Mœnum, nundinis suis & præcipue electione Imperatorum celebre, nos contulimus. Ibi degere ignotus Comes decreuerat. Non permisit Auugurij sedulitas Regis legati, ad quem aduentus rumor peruenerat. Hospitium præbuit & famulatum. Regredimur Magontiacum sesquianni secessu Lomenio notum: quod illic philoso-

6 LVD. HEN. LOMENII
phia tirocinium posuerit. Vrbs lo-
co amœno sita est, vbi Mœnus in
Rhenum confluit, vasta cæterum
solitudo, monachis & Iudæis ha-
bitata. Eo solum notabilis, quod
anno M. CCCC. L. Ars typographi-
ca ibi incepta, cuius primi chara-
cteres hodieque asseruantur: inter-
cedentibus tamen Batavis, qui hanc
Harlemo suo laudem vendicant
nec leuibus argumentis. De ad-
uentu nostro Elector certior fa-
ctus, omne genus comitatis Lome-
nio impertitur. Cum pararetur Ra-
tisponæ inauguratio Ferdinandi
Romanorum Regis, eo properat
Brienneus. Per illud itineris videt
Aschaffenburgum ad Mœnum in
Franconia, Magontiaci Electoris
ædibus ex lapide rubro constru-
ctis decoratum. Hinc Herbipolim
Franconiæ caput, vbi arcem condi-
dit ex quadrato lapide, inter cele-

A

berrima orbis monumenta : Norimbergam totius Germaniæ amœnissimam , genio loci , ciuium moribus , nitore ædificiorum & platearum. Ratisponam venimus xv. Kalend. Iul. pridie inaugurationis. Hæc ad Danubium posita , qui lapideo ponte coque solo iungitur. Certauere Magontiacus & Coloniensis Electores , vter coronam capiti Imperatoris imponeret. Honos Cæsareo decreto Magontiaco cessit , subducente se Coloniensi , & de violato iure scripto conquirente. Celebrata inauguratione solemni pompa , ad paratas epulas procedunt. Largiter potatum est in multam noctem. Indicuntur ibi Comitia , ad quæ Vautortius Regis nomine legatus accessit , infelici successu , qui illi leti causa fuit : viro ceteroquin erudito , sagaci , rebus gerendis idoneo , digno me-

8 LVD. HEN. LOMENII
liori fato. Non alienum fuerit pau-
cis inquirere in mœrorem Vautor-
tij, quem iustum fuisse Brienneo
liquido constitit. Ille cum sæpius
Regis nomine conquestus esset de
irritis ab Imperio promissis ex fide
pactorum Monasteriensium, tan-
dem fessus mora frustratrice hæc
scripto consignauit. Negari inue-
nituram, vt vulgo dicitur, Mon-
tisferrati Sabaudix Duci falso ob-
tentu pecuniæ non numeratæ Man-
tuano, qui a Rege bis oblatam re-
spuerat: sub auspiciis Austriacis
scribi publice militem: per Bel-
gium & Italiam proculcatis pacis
legibus immitti valida auxilia ad
Gallix hostes: copias de statiuis
tanquam de iure suo in Imperio de-
cernere, & latæ iniuriæ cessationem
pro gratia venditare. Oeniponta-
ni Archiducis in Galliam iniuriosa
scripta admitti, & præberi aures

declamatoriis conuiciis, ne particeps quidem vel audito Gallico oratore. Quasi Rex non soluti æris pro Alsatia promissi perageretur reus, quamuis ad id non teneretur, nisi prius constaret de abdicato Regis Hispaniarum in illam prouinciam iure. Gallicam fidem rei exitus abunde probabit. Dum æger curis ingentibus Vautortius surdis sic obstreperet, toti cœtui despectui erat, eo solo nomine quod Gallicis armis toties victricibus famulari tantillo interuallo fata desisissent, vno Rocroio amisso. Legato interim Hispanico marchione Castelloroderico de comitiis triumphante, quæ in gratiam Hispanorum ex libera ciuitate Vesonionem tributariam effecerant. Feruere eius ædes populo ministro, numerofo eius satellitio plateæ passim personare, auro rigere illuxæ

10 LVD. HEN. LOMENII
vestes, sub opiparo ciborum appa-
ratu mensæ ingemere, spargi per
urbem missilia: atque hæc omnia,
dum domui Austriacæ sit noua per
inaugurationem Cæsaris gloriæ ac-
cessio. Non tacendum factos in-
fanos sumptus ex pecunia ob Fran-
kendaliam erogata, cui damnosæ
pompæ fertur indoluisse Hispani-
ca frugalitas. Abdit se rursus Ma-
gontiacis latebris & puluere scho-
lastico Lomenius, quem excussit
cum tædio loci ipsis Kal. Iun. an-
ni sequentis M. DC. LIV. fœderatas
Belgij prouincias visurus. Ante-
quam ad extremum ostium Rheni
expirantis lecta vtraque eius ora
perueniat, nihil destinato muneri
conuenientius, quam hic represen-
tare quem deserit Magontinum,
& quo vinculo publicæ rationis
cum Gallia cohærere teneatur. Ean-
dem telam cæterorum Principum,

quorum aulas frequentaturus est, leui pectine percurret: vt sic tenella indoles in patrias ac auitas spes & artes sese erudiat, ne inani operum aspectu animum tantummodo pascere videatur, aut viarum anfractus varios emetiri, neglectis hominum moribus, multis hospitiiis habitis, nulla peritia rerum. Primo omnium satis constat, quam possidet dignitatem non extra vitæ metas se porrigere, nec vltra æstimari. Inde, circa hunc cardinem tota eius prudentia verti debet, vt pacem eligat: cum bello inferendo, & conditio loci, & regendi ratio, imparem reddant. Nullus igitur illi scopulus periculiosior, quam bello inuolui, quod illic haberi non potest, nisi damno superpetiarum appulsu, remedio malum superante. Gallia sola innoxie iuuat Magontinum: dominij exi-

12 LVD. HEN. LOMENII
gua portio tam vastæ potentæ non
implet hiatus. Et si impleret par-
ceret semper sacro censui Christia-
nissimi Regis pietas. Incumben-
dum igitur illi, vt inter Gallicam
gentem & Austriacam domum, ob-
certantes inter se & contrarias ra-
tiones, vtriusque potentæ perpe-
tua dissidia quoad possit compo-
nat, certus non posse inter se col-
lidi illos rerum humanarum verti-
ces, quin ipse pondere victus fa-
riscat. Tanti enim est in omnes
partes momenti Magontiaci situs,
vt vtriusque intersit urbem occu-
pare. Non in eo solum eius salus
vertitur: sed in hoc quoque, vt
cætera Imperij membra pace &
tranquillitate foueat: deriuata in
Germaniam belli clade Magonti-
num in primis obrutura. Ergo octo-
uiri illius augustalis tales debent es-
se dotes: non solum prudentia pol-

lere, sed versatili ingenio, quod innumeris nationibus aptet, bello a Germania eliminando: cum huius solida felicitas in sola quiete sita sit. Quam bene cum Gallia sibi conueniat, Austriacis ostentare, sic frænando audacia cœpta superbæ domus. Agere cum Gallia sine furo, copulam necessariam insinuando: ita ut eam a Germania auertat, & terreat difficultate operis. Cum cæteris blande agat, vnumquemque finium suorum illecebris, domi continendo. His monitis Ioannem Philippum figurauimus, quo vno regendi laudes omnes egregie concluduntur. Coloniam Agrippinam secundo Rheeno appulimus, inclitam urbem vel nomine auctoris Agrippinæ, matris Neronis. Occurrere deinceps nauigantibus Dufeldorpium, Neoburgici ducis: Vefalia, Schenckij mu-

14 LVD. HEN. LOMENII
nimentum , vbi Rheni Vahalisque
diuergium : Nouiomagum , Bom-
melia , Siluaducis , Gorcomium ,
Dordracum , & tandem Roteroda-
mum , quod alumno Erasmo se
iactat , qui ibi aheneus adstat. v.
id. Iun. Delphos , vrbem mauso-
leo Arausionensium Principum ce-
lebrem , cymba transfucti , Hagam
Comitis appulimus. Pagus est nul-
lis pomœriis cinctus , sed nobilif-
simis vrbibus antestans. Ibi fœde-
ratarum Prouinciarum ordines de
summa rerum deliberant , & con-
cilio Amphictyonum ad amussim
respondent. Chanutum Regis ora-
torem Lomenius salutatur , virum in
quo certant ex æquo probitas mo-
rum , peritia rerum tractandarum ,
& eruditio singularis. Postquam
solidum mensem cum eo suauiter
conuixisset : eo Lutetia aduentat
Auaugurius in Succiam delegatus,

cui Brienneus iussu parentis comes adiungitur, sed diuerso itinere. Auugurius mari, quod compendiosius erat, se committit Hamburgum vsque: Lomenius rheda emetitur viam. xvii. Kal. Aug. Haga Comitum relicta, & iucundissimo Chanuti consortio, Harlemum dormitum imus, prætermissio Lugduno Batavorum, quod antea data opera lustraueramus. Belgicæ Florentis Athenæ sunt, Musarum domicilium, vrbs fœta doctrina, Elzeuirianis typis illustris. Harlemonos Amstelodamum scapha vehit, opulentissimum totius Oceani emporium. Canalibus amœnissimis ciuitas interfecatur. Portum moles firmant ex palis & cespite extructæ: mira arte, etsi perpetuo nutantes, solidantur. Regimen ad inuidiam felix, & quod Fœderatos Ordines prouocet. Ex

16 LVD. HEN. LOMENII
ciuibus triginta , sex delecti cu-
riam componunt : ex his quatuor,
ceu Romæ Consules , ea plerum-
que inconsulata deliberant. Non
geritur illic perpetuus magistratus:
cui quotannis alleguntur bini : alij
duo interim diuersa munia for-
tiantur. Nec Senatores, nec subin-
de Consules , mutantur per annos:
sed in eum ordinem assumpti pe-
rennant. Iuri dicundo admouen-
tur Scabini , vt vocant. Mari &
mercaturæ ex mandato ordinum
generalium alij præficiuntur : Ad-
miralitatibus illa curia , est barbara
voce. De capitalibus causis & rea-
tu Iudex decretorie pronunciat ,
cui subest turba minor : crederes
præfectum vigillum Romæ. Scis-
sum tunc temporis in partes Am-
stelodamum , post irritos Arausio-
nensis Principis conatus non va-
cabat suspitione. Inde a vitato pe-
riculo,

riculo, ea parare quæ in posterum arcerent: tormenta bellica conflare, ea inscriptione, RES PVBLICA AMSTELODAMENSIS: quod inuisum ordinibus, tanquam excusso fœdere Ultraiectino nulli alteri adhærere niteretur. Res eo recidit, vt iuberetur fuso tormentorum metallo inscriptionem abolere. Studia in contraria abripitur vulgus: alij obtemperandum ordinibus, alij detrectandum imperium. Tandem inscriptio cum ira interiit. Vale diximus Amstelodamo. Traiecto ad Rhenum Amerfordio inclite infelicis Oldenbarnaeldi patria, Groningam venimus: & tandem Delffilio arce munita ad ostium Amisæ fluuij, qui prouincias fœderatas disternat, earum ditone excessimus. Lomenio Batauos mores introspicenti, tales visi sunt hic repræsen-

18 LVD. HEN. LOMENII
tandi. Natiuam pene dixeris inesse
genti ferociam, quæ primo obtutu
ciuilem cultum arcere videatur.
Genius populorum loci genium
imitatur, vt fit fere vbique ter-
rarum. Constat regionem quasi
mersam aquis enatare, colluctari
maria cum repagulis, & Hollandos
inter & Oceanum ferum esse belli
discrimen. Ille nudata littora, hi
recedentem Oceanum laceffere.
Pelagus animosius & impigrum,
nec pacem nec inducias paciscitur.
Inde vigilaces illis curæ, animus
acer, & mari apta manus. Nulla
infigniori dote præpollebunt,
nihil securius emerget. Solo rerum
fere omnium inopia laboranti,
non nisi appulsu exterarum rerum
succurritur. Opum arrogantia cer-
ta proles fouetur securitate, & situ
tot aggeribus insuperabili. Vali-
dior egestate, quam aggressoribus

minatur, si qua audacia in non tentandos canales protuderet inconsultum hostem. Inde mens prona cuncta despiciere, cui ignavum videtur non posse tueri quæ natura tuetur. Hinc pulcher enascitur libertatis amor, quæ conscientia agnata, ita in res sacras obstinat animos, ut pertinaci genti prudentia Iberica, dum imperuia tentat, non sine stupore orbis succubuerit. Id certe excusso iugo lucrifecerunt, ut optandam regendi rationem, si lenta consilia demas, adepti sint. Mirandum, quod sibi volentes duriora impulerint, quam Hispanica vel tyrannica vi subiissent. Ex quo id saltem consecuti sunt, publicas impensas inoffenso tenore procedere, operum labores valide sustentari, stipendia militi, & unicuique annua rigide persolui. A

20 LVD. HEN. LOMENII
bello illis concordia, firmamen-
tum Reipublicæ, cui optanda cæ-
teris mortalibus quies, metuenda;
formidandum plus illis ipso morbo
remedium. In hoc valent Hispa-
nicæ artes, vt quod vi & armis
non obtinent, tranquilla potestate
peragant. Aliena ope fœderatæ
Prouinciæ indigent, nulli exteri
his opus habent: hæ tamen af-
portatis superbiunt. Aptat Belgas
inopia mercaturæ, circa quam
tanquam polum, consilij machina
omnis circumuoluitur: quæ quan-
do ab illis neglecta, tunc puta-
mentes eorum læuas, & aduersa
fata. Ingenium ad mercimonium
procliue, lucelli vel minimæ spei
affulgenti Batauos addidit. Vnde
nulli deorum nisi Mercurio sup-
plicant. Ea auiditate prouecti,
non solum sibi sed toti mundo
velificant: vtrique orbi eorum

antennæ gemunt. Sic merito totius
Europæ promi condi audiunt.
Nauigandi peritiores, diuitiis præ-
pollent: vnde in publicis negotiis
feroculi. Ad sui emolumentum men-
suram exteros metiuntur. Colunt
& contemnunt, ex vtilitate aut
damno, cessante vel emergente.
Septentrionalis omnis ora magni
est apud eos momenti, itidem
Indiæ, & ipse nouus orbis. Sita
Gallia inter vtrumque mare, illis
præ cæteris æstimatur: eius eos
ditat fœcunditas, quia inde au-
hunt & inuehunt sine fine. O Ba-
taui, agnoscite etiam aliud in Gal-
lia præter lucrum. Sunt & alia
vincula, quæ vos potentissimo
Regum merito alligant: cuius
fortuni vobis æternum adhaeren-
dum, cum vestræ post Deos im-
mortales autor censeatur. Tu vero,
Clementissime Domine, nouis

beneficiis auita & paterna cumula
 in sociatam gentem , licet non ex
 æquo semper & vbique gratam,
 Hoc te decet , hoc tua interest.
 Auulso Belgio Austriacas vires
 attriuiſti, ſpes truncaſti, & Orien-
 tis in Occidente ſolis curſum ab-
 rupiſti Reſtat, o Regum maxime,
 vt irradies ſolus orbem , ſpolies
 Idumæam cognatis palmis, & diu
 captiuum ſepulchrum vindices,
 non paſſus inultas errare amplius
 circa loca ſacra auorum tuorum
 umbras. Relictis Batauis , æſtu
 ſecundo per Amiſiam flumen,
 omiſſa ad dextram tota illa regione
 quam olim ruptis obicibus mare
 inundauit , Amiſiam peruenimus,
 Comitatus cognominis caput. In-
 de Oldenburgum , moroſo itinere
 longitudine milliarium in immen-
 ſum patente, per regionem vligi-
 noſam & paluſtrem. Cepites inde

eruuntur, qui sole siccati instar
 ligni accenduntur. Infelices popu-
 li, qui terram suam vrunt. Del-
 menhorstio Phabiramum ad Visur-
 gim contendimus, quam ingruen-
 te cum Suecis bello perlustrare
 non licuit: Vumenses paludes lin-
 tribus eluctamur, hoc est, arbori-
 bus cauatis, nauicularij vectorif-
 que vnius capacibus. Hamburgum
 VI. Kal. Aug. aduentamus. Auau-
 gurium reperimus, qui retulit eo-
 dem die Christinam personatam
 virili habitu Belgium Hispanicum
 petiisse. Doluit Brienneo sibi elap-
 sam occasionem explorandi oculis
 famosam Reginam. Habebat in
 mandatis Auaugurius Daniæ Re-
 gem inuisere: & vt rescivit eum
 plaustro rusticano impositum cum
 vxore Glustadium properare, ob-
 uiam illi fuit. Pudibundus Rex
 eum remisit Flensburgum, quo

24 LVD. HEN. LOMENII
rediturus erat , & immoraturus ,
vitandæ lui quæ Hafniæ grassaba-
tur. Ad VII. id. Augusti Hambur-
go decedimus , & Lubeca , Ploena ,
Chilonio , Castro Gottorpij , &
Slesuica , Flensburgum perreximus ,
quo vix admissi obtentu sæuientis
contagij : dum præstolamur , largo
imbre irrigati pene mergimur.
At quasi agmine facto nos turba
malorum circundaret , condictus
Auaugurij cum Rege congressus
retardatur , scrupulo Dano iniecto
ob imminentem eclipsim. Pridie
idus Aug. circa horam nonam ap-
paruit inter nubila sol falcatus ,
fulgentibus tantummodo cornibus
Occidentem versus : Luna solaris
disci portionem occupat. Non aliter
sol conspectus , quam cornua lunæ
visuntur die tertio a coniunctione.
Nubecula per medium horæ qua-
drantem solem eripit , denuo visum

strictiorem minoremque. Turbidus continuo fit aer, spissiorque nubes soli opponitur fusca & nigricans toto quadrantis horæ spatio. Atque id hora sesqui decima, dum luna solis orbi aduersabatur: dubiæ lucis crepuscula diceres. Deducitur iterum nubes, notantur cornua ad Orientem spectantia. Rediit optati sereni facies, cum sol undecima totum orbem impleuit. Excusso terrore vano colloquium celebratum est: cuius summa, Regiæ benevolentia testificatio, & blandum ad reciprocae amicitia incitamentum. Rex Daniæ legatum honorifice excepturus, per totam regionem venatione indicta trecentos cervos sclopetis trucidavit, saleque durandos famulis donavit: & ut nauem præda oneraret, vrgebat oratorem. Hoc littoze soluit Auangurius, Hol-

miam petens. Lomenius vero lustraturus Daniæ regnum, terrestre iter carpit, negligens putris morbi contagia, dummodo nouitate rerum mentem impleret. Pascua regio strepebat equis generosis, qui tanto in pretio alibi habentur: illic autem instar bouum neglecti, gregatim abigebantur, quod visu non inamœnum. Tria Danica freta nobis fuere flectenda; medium non sine periculo, oborta tempestate graui, quæ præsentem mortem intentabat, naui fatifcente, & fluctus subinde accipiente, quos pileis ciiciebamus. Inuisimus regiam arcem Fridericoburgum, in qua, materia opus superabat: ex argento scilicet solido supellex pleraque, & quod notandum, pulpitem concionatoris. Sueciam ingredimur per Scaniam prouinciam, nondum Suecici iuris.

Occurrunt nobis montes, & abrupta
 itinerum, quo ultra rusticanis plau-
 stris, quibus hactenus aduecti, non
 datur aditus. Westrogoticis siluis
 equitantes inducti, per Ienicopiam
 ad quam torrens immenso fragore
 cadit non sine clamore montis &
 vicinæ siluæ Lincopiam venimus,
 fano memoratam: inde Norcopia
 Ostrogotiæ emporio ad fauces
 Vetteri lacus in Balticum influen-
 tis, Nicopiam Sudermaniæ. Tan-
 dem Holmiam, pertæsi tot salebra-
 rum, ingredimur ipsis Non. Sept.
 Hæc regnorum Sueciæ metropolis
 ad Melerum lacum sita est, partim
 in insulis, partim in continenti ex-
 structa, celebre Baltici maris em-
 porium, & statio nauibus tuta.
 Palatium pro cultu gentis super-
 bum, cupro opertum: vici in vrbe
 lati, natiua vt plurimum rupe stra-
 ti. Letaliter decumbebat Cancel-

larius Oxenstiernus , vir magni nominis & animi , qui ab excessu Gustavi Magni sustinuit rerum pondus , Septentrionalis oræ præcipuum decus : cadauer vidimus tantum. A cuius funebri pompa ad mausoleum Gustavi Magni diuertimus. Intenti hæsimus epitaphio , in quo si eadem esset sermonis puritas , quæ grauitas sensuum , & pondus : magnitudini tanti herois omni ex parte congrueret. Dummodo vltimæ litura impia in summum Pontificem verba aboleantur : quandoquidem sacrosancta Ecclesia non deformationem , quod dictu horrendum , sed venerationem & cultum ab eo nacta est , per assimilationem Christi , cuius vices gerit in terris. Totum facellum tali inscriptione ambitur.

GLORIA ALTISSIMO SVORVM
REFVGIO,
SEPVLTVRA POTENTISSIMI
PRINCIPIS
GVSTAVI MAGNI D. G. REGNORVM
SVECIÆ REGIS INCOMPARABILIS
IN ANGVSTIIS
INTRAVIT
QVI REGNO VNDIQVE HOSTIBVS
OBSESSO AD IMPERIVM
INTRAVIT.
PIETATEM
AMAVIT.
PACATIS DEINDE DANIS
MOSCOQVE ET POLONO
MITIORIBVS FACTIS
HOSTES
PROSTRAVIT.
Insignia Regia.
REGNVM
DILATAVIT.
REGNVM AMPLIAVIT SVVM

30 LVD. HEN. LOMENII
ATQVE PRVDENTIA
GVBERNAVIT.
SVECOS
EXALTAVIT
TANDEM RETRVSO CÆSARE
GERMANISQVE A PAPÆ
DEFORMATIONE LIBERATIS
OPPRESSOS
LIBERAVIT
IN PVGNA LVTZENSI VICTOR
HEROICE OBIIT VIII. ID. NOVEM.
ANNO DOMINI CIO IƆXXXII.
MORIENS
TRIVMPHAVIT.

Habet & Holmia insignis Carte-
sij tumulum, quem totus orbis me-
rito sibi vindicaret. Ac etiamsi eius
fama æternis monumentis se po-
steritati asseruerit, Chanuti elogio
non minus inclarescit. Sic pene
sub sidere Arctoo, & ad littus gla-
cialis oceani, amor Chanuti igneus
vix tepere fuit amici cineres,

ITINERARIVM.

31

& tanti nominis vmbra cuan-
scere.

D. O. M.

REGNANTE CHRISTINA

GVSTAVI PRIMI PRONEPTE

MAGNI FILIA

AVORVM COEPTA PATRIÆQVE

TERMINOS

VICTORIIS NOVIS PROMOVENTE

PACEM DEMVM ARMIS QVÆSITAM

ARTIBVS ORNANTE

ACCITIS VNDIQVE TERRARVM

SAPIENTIÆ MAGISTRIS

IPSA IN EXEMPLVM FVTVRA

RENATVS DES CARTES

EX EREMO PHILOSOPHICA

IN LVCEM ET ORNAMENTVM AVLÆ

VOCATVS

POST IV. MENSEM MORBO INTERIIT

ET SVB HOC LAPIDE

MORTALITATEM RELIQVIT

ANNO CHRISTI CIO. IOC. L.

VITÆ SVÆ LIV.

32 LVD. HEN. LOMENII
RENATVS DES CARTES PERONII
DOMINVS

EX ANTIQVA ET NOBILI INTER PI-
CTONES ET ARMORICOS GENTE
IN GALLIA NATVS

ACCEPTA QVANTACVMQVE IN SCHO-
LIS TRADEBATVR ERVDITIONE
EXPECTATIONESVA VOTISQVE
MINORE

AD MILITIAMPER GERMANIAM
ET PANNONIAM ADOLESCENS
PROFECTVS

ET IN OTIIS HIBERNIS NATVRÆ
MYSTERIA COMPOENS CVM
LEGIBVS MATHESIOS

VTRIVSQVE ARCANA EADEM CLAVI
RESERARI POSSE
AVSVS EST SPERARE

ET OMMISSIS FORTVITORVM STVDIIS
IN VILLVLA SOLITARIVS

PROPE EGMVNDVM IN HOLLANDIA
ASSIDVA VIGINTI QVINQVE ANNO-
RVN MEDITATIONE AVSO POTITVS

EST

HINC

HINC TOTO ORBE CELEBERRIMVS
 A REGE SVO CONDITIONIBVS
 HONORIFICIS EVOCATVS
 REDIERAT AD CONTEMPLATIONIS
 DELICIAS

VNDE AVVLSVS ADMIRATIONE
 VIRTVTVM MAXIMÆ REGINÆ
 QUÆ QVIDQVID VBIQVE EXCELLVIT,
 SVVM FECIT

GRATISSIMVS ADVENIT, SERIO EST
 AUDITVS ET DEFLETVS OBIIT.

NOVERINT POSTERI

QUALIS VIXERIT

RENATVS DESCARTES

VT CVIVS DOCTRINAM OLIM SVSPI-
 CIENT, MORES IMITENTVR

POST INSTAVRATAM A FVNDAMEN-
 TIS PHILOSOPHIAM,

APERTAM AD PENETRALIA NATVRÆ
 MORTALIBVS VIAM

NOVAM, CERTAM, SOLIDAM
 HOC VNVM RELIQVIT INCERTVM

34 LVD. HEN. LOMENII
MAIOR IN EO ESSET MODESTIA,
AN SCIENTIA.
QVÆ VERA SCIVIT, VERECVNDE
AFFIRMAVIT,
FALSA NON CONTENTIONIBVS,
SED VERO ADMOTO
REFVTAVIT
NULLIVS ANTIQVORVM OBTRE-
CTATOR, NEMINI VIVEN-
TIVM GRAVIS
INVIDORVM CRIMINATIONES
PVRGAVIT INNOCENTIA
INIVRIARVM NEGLIGENS, AMICITIÆ
TENAX
QVOD SVMMVM TANDEM EST
ITA PER CREATVRARVM GRADVS
AD CREATOREM EST CONATVS
VT OPPORTVNVS CHRISTO GRATIÆ
AVTORI
IN AVITA RELIGIONE QUIESCERET
I NVNC VIATOR ET COGITA
QVANTA FVERIT CHRISTINA

ITINERARIVM. 35

ET QVALIS AVLA

CVI MORES ISTI PLACVERVNT.

CHRISTIANISSIMI REGIS

LVDOVICI XIII.

LVDOVICI IVSTI FILII

HENRICI MAGNI NEPOTIS

ANNA AVSTRIACA

OPTIMA, PRVDENTISSIMA,

FORTISSIMA REGINA

ANNOS ET REGNVM FILII REGENTE

LEGATVS ORDINARIVS

PETRVS CHAVT

HOC MONVMENTVM

AD GLORIAM DEI BONORVM

OMNIVM DATORIS

GALLICI NOMINIS HONOREM

PERPETVAM MEMORIAM AMICI

CARISSIMI

RENATI DESCARTES

PONI CVRAVIT

ANNO SEPTIMO AB EXCESSV

LVDOVICI IVSTI.

C ij

Id. Septemb. Auugurius ap-
 pulit. Altera die, cæli intemperie
 Brienneus æger oculis esse cœpit.
 Ad v. vsque Id. Octobris Auu-
 gurius ad colloquium Sueciæ Re-
 gis non admittitur. Oborta diffi-
 cultas, quod cum Suecus Regem
 nostrum per litteras titulo Sereni-
 tatis, vt dicitur, insigniret, ab eo
 non itidem compellaretur. Pol-
 licetur Auugurius, daturum se
 operam, vt hac in parte Sueciæ
 Regi imposterum abunde satisfiat.
 Ea lege excipitur. Idem Lomenio
 contigit, gratulatio Regis no-
 mine ob faustam inaugurationem,
 & matrimonium initum. Sed res
 cum Auugurio composita, Brienneo
 exemplo fuit. Heduuiga Eleo-
 nora nuptura Sueciæ Regi III.
 Non. Nouemb. magna pompa
 Holmiam intrat. Eodem die cele-
 bratæ nuptiæ. Ad III. Kal. Ian.

ann. MDCLV. dilatatum Brienneo officium, morbo impediēte. Ex-
cipitur instar legati. Is Suecis ita
gratosus fuit, ut eorum ludi-
cris tanquam indigena admittere-
tur, Bacchanalibus quæ apud il-
lam gentem eo hilarius agun-
tur, quod Quadragesimale ieiunium non subsequitur castiga-
tio procacitatis, larvata tota au-
la visitur. Rex personam caupo-
nis induit, quoscumque mensæ
adhibens, qui veste variarum
nationum habitus mentiuntur.
Hoc præsertim in ludibrium re-
ligionis, & monachorum, qui
ibi passim exhibentur ridiculi.
Lomenij partes erant agere Fran-
ciscanum, quod illi consulto im-
positum, solum quia catholicus.
Opprobrium callide excussit, ru-
stici personam sustinens. III Kal.
Febr. a Rege honorifice dimitti-

38 LVD. HEN. LOMENII
tur, non sine muneribus, quæ
oratoribus moris est largiri. A-
nimus nobis Sarmatiam inuisere:
sed cum per glaciale Oceanum
non daretur nauibus aditus, de-
creuimus circuire Codanum si-
num potius, quam per Daniam
eadem vestigia relegere. iv. Non.
Feb. horrida anni tempestate, la-
cubus & fluminibus glaciali com-
pede alligatis, nos itineri accin-
gimus. Vpsaliam recta tendimus,
antiquissimam Sueciæ urbem, ad
Salam flumen, vnde loci nomen-
clatura. Ibi sedes Archiepiscopa-
lis, & templum non inelegans, in
quo sancti Erici corpus reposi-
tum. Scholæ publicæ non in-
celebres. Palatium Regis monstra-
tur, vbi Christina se regnis
abdicauit. Commoti fuimus lo-
ci fama, quasi ipsi exuentem se
diademate Reginam inspiceremus.

Animum Briennei perculit magnitudo rei, eo magis, quod rimanti intima muliebris abdicationis ægre quid solidi repertum. Fœmina plena sui, auida famæ mirantis nouitatem facti, orbis oculos in se conuersura, pertæsa præsentium, vana futurorum imagine sic mentem pascebat. Propositum vehementer firmavit adulantium grex, quibus ad vltimum plus æquo addicta ferebatur. Vilia mancipia, quam de suis dignis fortiori sexu dotibus conceperat opinionem, palpo fouebant. Illa peregrinandi mire auida, fabulosis narrationibus stimolata, tanquam magnitudini animi non sufficeret auitum patrimonium despexit, linguarum quas callebat varietatem gentibus ostentatura. Hispani, qui nihil non in mysteria vertunt, Christinae

40 LVD. HEN. LOMENII
ingentia molimina affinxerunt,
iactabundi, vt Suecia tunc a Gal-
lia auulsa. Hæc pompam pri-
scæ religionis & Tybridis amœ-
nitates animo voluens, Hispani-
cam expectationem delusit. Vpsa-
lia egressis Sala occurrit, diues
argenti fodinis. Tres sunt hiatus:
duo argentum suppeditant, ter-
tius antlia aquas euoluit. Per Da-
lecarliam Cuprimontium adimus,
donatum municipali iure ab ali-
quot annis. Celebres ibi cupri
fodinæ in radicibus montis, qui
varie perforatus, mirandum sui
spectaculum præbet. Tota moles
ad amplitudinem stadij excaua-
tur, relictis passim ex rupe co-
lumnis, quæ illam fulciant. For-
nacibus Ætnam feruere crederes,
& Cyclopes illaborare officinis
suis: hoc tantum discrimine, quod
numero vincant. Nam duodecim

millia, ut minimum, in hoc opere
 defudant. Ab immani specu per
 Gestritiam Huduiswaldum Helsing-
 giæ urbem, Sundswaldum in Me-
 delpadia, quam ab Helsingia Niurundus
 latus amnis separat, iter fuit. Inde
 amne alio Indalo, qui ex Noruegiæ
 montibus decurrit, superato, Angermaniam.
 Tum per præruptos scopulos, Sculam
 montem editissimum ascendimus: de quo
 accolæ mira narrant, quasi a lemuribus
 infestaretur, in supremo vertice præstigi-
 antibus. Ecce Bothnia Occidentalis.
 Substitimus Vmæ, unde Lappionum
 tractus nomen habet. Regionem & in-
 gredimur, peregrinationis in Arctoum
 ultimum limitem. Gens natura deformis,
 breuissimæ staturæ, nulla certa statio:
 tentoria figunt, modo ad lacus, modo
 ad oram siluarum, his populandis; illis,
 piscibus exhau-

42 LVD. HEN. LOMENII
riendis. Tentoria ex perticis & cor-
ticibus conflantur : focus in me-
dio , quem circumstant nigrantes
fumo lacrymoso. Cibus illis , car-
nes crudæ , & pisces exsiccati ; po-
tus , glacies soluta ; tegumen viris ,
detractæ feris pelles nec alibi no-
tis. Rangiferos vocant. Certant
velocitate cum ceruis , mole cor-
poris cedunt : hoc discrimine ,
quod duplicem cornuum ordinem
gestent. Fœminis præter has pel-
les indusia , non linea quidem ,
sed ex nervis siccatis eiusmodi pe-
cudum , quæ in filamenta arte di-
ducunt , & postea nent. Plaustel-
lo iungunt Rangiferum , cuius
vsus in totam barbarorum vitam
se porrigit : vestit , nutrit , ve-
hit : & post obitum , eius ossa
asperantur in cultros , & curuan-
tur in arcus , congeneribus feris
trucidandis. Relictis Lappionibus,



Parua tabella
 Laponiæ imaginem refert
 & tot commodis subseruientis
 Rangiferi.

Sunder

facit

littora Codani sinus legimus, mox
plaustris transituri in Finningiam:
qui labor non fuit vnus diei, tum
ob sæuientem auram, quæ niues
offundebat; tum interuentu noctis
in glaciali hoc tractu. Tugurium
piscatorium in insula subimus ri-
gentes. Solidum diem hic egimus,
incerti nostri, & quæ tentanda via.
Remissiore aquilone XIII. Kalend.
Mart. antequam dilucularet, ad
magnum fretum peruenimus: du-
ctore tenebris vltius progredi
recusante. Abdimus nos silua pro-
xima, vbi inter medias niues ac-
censo igne lentum solem expecta-
mus. Pergimus, & medio itinere
dirupta glacies terrorem incussit.
Hoc defuncti periculo, in aliud
incidimus: montes scilicet glacia-
les superandi sunt. Primis frigo-
ribus teneram adhuc glaciem venti
in frustra fregerant: adueniente

strictiore gelu quasi turgidum ip-
 sum mare concretum est. Incolu-
 mes euasimus, recreatis viribus
 adusto vino, cuius superficies iam
 glacialis. Vasa transimus, Bothniæ
 Orientalis oppido: & per densissi-
 mas Thauastiæ siluas laborantes
 sub niuium pondere, Bienebur-
 gum delati sumus. Tum regionem
 ingredimur minus quidem incul-
 tam, sed victus ratione deterio-
 rem. Millakulam in fœda mapalia
 diuertimus. Ibi familiæ totæ squa-
 lore obsitæ, nudæ, in hypocau-
 stis, intermixtæ iumentis, bubus,
 porcis, & ouibus. Nihil esui pa-
 ratum. Illorum mos est, in elixum
 aqua furfurem tantillum lactis
 instillare: & hic vnicus cibus.
 Aboam imus Finningiæ ducatus
 metropolim: ibi immorati vno
 die reficiendæ valetudini. Hinc
 Borgum Nylandiæ oppidum, Vi-

46 LVD. HEN. LOMENII
burgum Careliæ, cinctum valido
aduersus Moschos finitimos mu-
nimento. Viburgo per Finnicum
mare gelatum trahis in Ingriam
deferimur, Suecici nunc iuris,
antea Moscouitici: vnde inco-
læ, nec vestem, nec religionem
mutauere. Ruthenorum templum
Neruæ iustramus. Sanctuarium in-
gredi soli sacerdoti fas. Plebs stat
diuerso loco. Nudi parietes solis
cereolis, quos quisque intrantium
affigit, illustrantur. Per Estho-
niam planam regionem & fera-
cem, Reualiam & Pernauiam; per
Liuoniam, Rigam ipsis Id. Martiis
attigimus. Hæc ad fluuium Du-
nam firmo quinque millium mili-
tum præsidio custoditur, Suecicæ
ditionis præcipuum propugnacu-
lum. Ibi Lomenius a Gustavo
Hornio viro bello spectato laute
excipitur. Fines Sueciæ hic egre-

dimur. Stupentes tam desertum, tam incultum solum, tot heroas genuisse, qui Romam terrarum dominam docuerunt sua ferre iuga. Cælum atrox, & rigida seueritas qua genti imperatur, Suecos facit formidandos. Ab incunabilis labori assuescunt, crescentibus nihil duri inexpertum, nulla prouectis noua aut inopina periculorum facies. Horum epulæ, vicisse famem: tanta cum asperis familiaritate, vt quod aliis intolerandum, illis voluptas sit. Lectis ex agro, nihil prius quam parere ducibus: procul familiæ cura, & omnis spes, bello vnico patrimonio. Hinc vigent militares leges, quibus terrori sunt cæteris mortalibus. Quis posthac tam impigris imperantem, putet otiosum? quid non timendum igitur a Carolo Gustavo, qui collectas magni

principis dotes in se continet, qui per omnes militiae gradus strauit sibi iter ad diadema? Grauis ergo ab illo Germano Sarmatis fortuna incubat: quæ non solum ingentes animos comitatur, sed nescio quo fato magna inchoantibus famulatur, & fauet transitibus rerum. Quam vana hallucinatio Hispanorum, cum auulsa nobis Christina non defecerit alter, qui apprime nouit nihil Suecis salubrius Gallica potentia: hinc vincula quibus suam fidem tam sincere illi obligauit. Curlandiam intramus, cuius Dynasta rhedas Comiti obuias mittit, & in Mirauuiana arce magnifice excipit. Mirum, apud barbaras gentes tantum eum potuisse, vt liberales artes induxerit, & populos rudes, qui solem & lucos adorabant, veri numinis cultu, quanquam minus sincero, imbuerit.

rit. Per totam ditionem cuncta Lomenio suis sumptibus curauit suppeditari. XII. Kal. April. inde egressi, Dublino, Oberbartauia, Heiliegena, Curlandiæ urbibus, Polonga Samogitiæ, Memelium venimus Borussia oppidum quod Electori Brandenburgico paret. Nec indignum obseruatu, Heiliegenæ littora adiacentia succino nobilitari: vnde illa ora, quæ pallet recutita gente, electri mercimonio ditescit. Mox Regium - Montem regionis caput, ædificiorum structura nobilem, Brauuembergam, Elbingam, & Gedanum III. Non. April. Libera hæc ciuitas est, totius maris Baltici clarissimum emporium, ad Vistulam amnem: qui non procul a Morauia finibus originem ducens, vno ab vrbe milliari in mare se effundit. Prid. Id. Apr. Varsauiam petaturi, iter

50 LVD. HEN. LOMENII
facimus Graudensio , Colmensca ,
Torunio vltima Borussix vrbe ;
vbi superato , Vistula Poloniam
ingredimur : & Vuladislauia , Go-
stinia , Gabinio , Scrachischouia ad
Ezuram , Blonicoque , Varsauiam
xiv. Kalend. Mai. peruenimus.
Quindecim dies ibi immoramur.
Polonix regum sedes est : ibique
comitia totius regni habentur.
Regina Ludouica Maria Gonzaga,
in Gallia nata & educata , Brien-
neo mittit rhedam honoris causa.
Et ipsa Regi eum obtulit , non
dissimulata cognatione. Domum
illi instruxit , famulitij omne ge-
nus præbuit splendide. Nulli sum-
ptui pepercit , hospiti cohonestan-
do , adiectis muneribus pretiosis ,
quæ Rex etiam sua munificentia
æquauit. Regni proceres certatim
officiorum omne genus illi detu-
lerunt , arrepta deuinciendæ sibi

Reginæ occasione. In discessu postquam Regina varia arcana fidei Briennei credidisset, præsertim de imminente Poloniæ a Suecis bello, quo hæc Regi nostro referret, dimisit tam honorifice, ut nihil supra; supellectile argentea, qua ministratum illi fuerat, donata; & rheda, qua per vastos Germano-Sarmatiæ tractus publicis sumptibus veheretur, stipatus quinquaginta prætorianis. Vidit, & præuidit sagacissima femina Suecos in Germano-Sarmatas Galliæ bono non posse armari: & quoquo se vertant, ingrata fore arma, nisi aduersa Austriacis. Sinant, aiebat, Sueci desæuire Polonos in Moscum inhospitalem, & Getas indociles, Galliæ longinquo aspernabili fulmine. Nec existiment impune posse infestari gentem, vel Valesiana electione

52 LVD. HEN. LOMENII
inclitam , ambitioso sui Regis
æstro solum perciti. Gallicis ra-
tionibus hoc incongruum : cum
earum inconcussa norma sit ,
vtrumque Regem non euagari suos
fines , nisi in communem hostem.
Turpe Gallo & indecorum , fra-
ctam tunc temporis Poloniam ,
supplicem fieri Suecorum ditio-
nem. Non esse rem nouam , Sue-
cum Baltici maris ambire impe-
rium : infelici Polonia domita , de
Danis cogitaturum successu forsan
minus fausto , a Fœderatis Prouin-
ciis auxiliis certis. Interesse igitur
Galliæ , hos Septentrionales nim-
bos depellere , & Suecico impetui
moderari. Hæc pro sua prudentia
suggererat gnara tot imminentium
Gonzaga. Varfauuia non exceden-
dum neglecta columna illa ex mar-
more , perpetuitati nominis Sigif-
mundi erecta , compendio eius vitæ.

ITINERARIUM.

53

HONORI. ET. PIETATI.

SACRAM.

STATVAM. HANC.

SIGISMUNDO. III.

VLADISLAVS. IV.

NATURA AMORE GENIO

FILIVS

ELECTIONE SVCCESIONE

FELICITATE

SVCCESOR

VOTO ANIMO CVLTV

GRATVS

PATRI PATRIÆ

PARENTI OPT. MER.

ANNO DOMINI MDCXLIII.

PONI IVSSIT

CVI IAM

GLORIA TROPHÆVM

POSTERITAS GRATITVDINEM

ÆTERNITAS MONVMENTVM

POSVIT AVT DEBET.

D iij

54 LVD. HEN. LOMENII
SIGISMVNDVS III.
LIBERIS SVFFRAGIIS
POLONIÆ
HEREDITATE SVCCESIONE IVRE
SVECIÆ REX
PACIS STVDIIS GLORIAQVE
INTER REGES PRIMVS
BELLO ET VICTORIIS
NEMINI SECVNDVS
MOSCORVM
DVCIBVS METROPOLI PROVINCIIS
CAPTIS
EXERCITIBVS PROFLIGATIS
SMOLENSCO RECUPERATO
TVRCICA POTENTIA
AD CHOCIMVM REFRACTA
QVADRAGINTA QVATVOR ANNIS
REGNO IMPENSIS
QVADRAGESIMVS QVARTVS
IPSE IN REGIA SERIE
OMNIVM ÆQVAUIT
AVT AVXIT GLORIAM.

SIC COELO SIC TERRIS

SIGISMUNDVS III.

PIETATE INSIGNIS ET ARMIS

GEMINO GLORIÆ MERITO

SE SE APPROBAUIT

HINC GLADIUM

INDE CRUCEM

TAM FORTI QVAM PIA MANV TENET

ILLO PVGNAVIT

IN HOC SIGNO VICIT

SVB HOC INSIGNI VIXIT

SECVRVS INVICTVS FELIX

NVNC FELICITATE

QVAM TERRIS DEDIT

GLORIOSVS

QVAM COELO MERVIT

BEATVS.

*Non Statua erigitur, nec caso gloria monte**Fulta Sigismundi: mons erat ipse sibi.**Nec fulgorem auro, robur neque sumit ab ere;**Auro fulgidior, firmiter are fuit.*Transimus Rauam, Cruschuram,
& Claromontium fanum diuæ Vir-

D iij

56 LVD. HEN. LOMENII
gini sacrum , ex ceremonia loci
inclitum. Et v. Id. Mai. Craco-
uiam tandem peruenimus. Hæc
caput Poloniæ , splendida arce,
regia , & templis. Cracouianus Epi-
scopus Gembicus Brienneum opi-
pare excipit. Notandum, mutatis
ferculis mutatam etiam catinorum
figuram , triangularium , quadra-
torum , & orbicularium. Inde vi-
cinas salis fodinas Vieliscæ inuifi-
mus, fane per puteum in ima de-
scendimus. Camerata rupes spe-
ciem quasi vrbis præbet: illic enim
facellum , ædes , stabula reperias.
Poloniæ regnum , verius Rempu-
blicam dixeris ; corpus est ingens,
exercitum bello , nobilitate con-
flatum : sibi pro libitu , qui ex vir-
tutis æstimatione emanat , Ducem
eligens : Regem tamen vocant.
Præscribuntur illi regnandi fines ,
coercetur legibus potestas , tuenda

libertati, quæ apud illos numinis
 instar; & si detur optio, optatissi-
 mis mortalium rebus antepo-
 nant. Quidquid in eorum beneficium
 veritas, innata diffidentia secus
 interpretantur. Sic nec amicorum
 commodis, nec suis ancillantur.
 Immissa auxilia toruum intuentur,
 ipsa munimenta formidant, inui-
 dent securitati: quidquid patrocini-
 natur libertati, videtur insidiari.
 Mœnia & muros in pectore &
 animis sibi struunt: vastitas regio-
 nis, arcium tutissima. Armamen-
 tarium illis in promptu, fortitu-
 do: tardiores eorum velocitati,
 onerosæ machinæ; expeditionum
 celeritati sagittæ respondent. In la-
 bantem hostem formidolosi sunt:
 nullum perfugium apud Polonos
 victores, strages sine misericordia.
 Obstantibus prælium cedunt:
 nec turpis iis fuga, qui in superstitè

58 LVD. HEN. LOMENII
virtute gloriam & salutem patriæ
reponunt. Gallicanæ pietatis in-
terest, Poloniam tueri Christiani
nominis hostes arcuentem : interest
& gloriæ, imperare bellicosæ gen-
ti ex Francigena stirpe Borboni-
dem, non tam auitis, quam pa-
ternis virtutibus clarum, qui rite
temperet Sarmaticas habenas, &
Ludouico toties victori fortia pe-
ctora conciliet. XIV. Kalend. Iun.
Cracouia relicta Vindobonam ver-
sus pergimus, per Silesiam, & Mo-
rauiam; vbi præter Olomutium &
Brinum nihil notatu dignum: il-
lud, sede Episcopali; hoc, obsi-
dione quam aduersus Suecos tam
fortiter sustinuit, vt inde ob me-
moriæ facti extiterit caput regio-
nis, virtutis præmium; dignitate
illa Olomutio sublata, nota ve-
cordiæ. Amœnissimam ingressis
viam VI. Kalend. Iun. Vindobona

apparuit. Hæc ad Danubium sita, caput Austriæ, Germanici Imperij sedes, Christiani orbis propugnaculum. Ibi, quod olim Romæ, indictis diebus gladiatorij ludi celebrantur; sic spectis Christianis ritibus, quibus parcitur sanguini redempto. Reperiuntur, qui irritatis nimio mero animis gratuito in arenam descendunt: id probante selecto iudice, quasi dominæ urbis, vel hac sola imagine, magnitudo adumbraretur. Aberat Imperator, qui Posonij, quod Christianæ Hungariæ nunc caput est, comitia regni habebat. Eo nos etiam transtulimus, spectandæ inaugurationi Imperatricis in Hungariæ Reginam, quæ VIII. Id. Iun. contigit. Aulæ illius Lomenius iam Ratisponæ gnarus, salutato obiter Imperatore, in ultimos usque Christiani orbis fines pene-

60 LVD. HEN. LOMENII
trat, Iauarino, & Comora perlu-
stratis. Miseranda species locorum,
continuis Turcarum inuasionibus
obnoxia regio: feracissimo solo
squalet inculta. Vindebonam re-
dux, Pragam Bohemiæ caput Lo-
menius petiit, studio visendæ fa-
mosæ vrbis. Ad Moldauam am-
nem posita, triplicem urbem com-
plectitur. Ab ea inchoatum bel-
lum Germanicum, in ea desit. Sic
ciues ad rei perpetuam memoriam,
ad eam ipsam portam, quæ furo-
ris bellici vltima remora, hæc in-
sculpenda curauerunt infra insi-
gnia Austriacæ affinitatis: quorum
nullis pepercit tormentorum vis,
nisi Gallicis liliis, seu casu, seu ex
destinato, Marti venerandis.

SISTE HIC PAVLIS PER VIATOR
SED LVBENS AC VOLENS
VBI MVLTÀ POPVLATVS TANDEM

ITINERARIUM. 61

VEL INVITVS

SISTERE DEBVT

GOTHORVM ET VANDALORVM

FVROR

ET LEGE SCVLPTVM IN MARMORE

QVOD AD PERPETVAM BOHE MORVM

OMNIVM

SED IMPRIMIS VETERO PRAGENSIVM

MEMORIAM

ANNO DOMINI M. DC. XLVIII.

MARS SVECICVS FERRO ET IGNE

HAC IN TVRRI DELINEAVIT

HÆC TVRRIS GOTHICI FVIT VLTIMA

META FVRORIS

SED FIDEI HÆC ETIAM FVIT VLTIMA

META BOHEMÆ

VOLVISSENT IDIPSVM CIVES VETERO

PRAGENSES

FVSO SANGVINE INSCRIBERE

NISI

PAX AVREA

FERDINANDI III. PIETATE

ET IVSTITIA

62 LVD. HEN. LOMENII
IN ORBEM GERMANICVM REDVCTA
PRO SANGVINE AVRVM
SVPPEDITASSET.

Ingrediēti veterem urbem occur-
rit statua Diuæ Virgini sacra , in
qua inscriptio simplicitate sua no-
tabilis , numerariis litteris annum
defensæ urbis designantibus.

VIRGINI
GENITRICI
SINE
ORIGINIS LABE
CONCEPTÆ
PROVGNATÆ
ET
LIBERATÆ
VRBIS ERGO
CÆSAR
PIVS ET IVSTVS
HANC STATVAM
PONT.

Valstenij tot gestis incliti, excessu infelicis, ædes superbæ ibi visuntur. Subiacent Imperatoris palatio situ tantum, splendore vincunt. Magnis itineribus tendimus in Italiam. Ratispona, quæ prius visa, Augustam Vindelicorum iter fuit: cui non se æquiparent magnificentia & splendore aliæ Germaniæ vrbes, excepta vna Norimberga, quæ nitore non cedit. Monachium non prætermisimus, Bavarix Ducum sedem ad Isaram, vbi palatium longo interuallo superat quidquid in Europa splendidum, opere & materia certantibus. Marmore, auro, omni pretiosorum lapidum genere interiora nitent. Nihil non affabre factum: & quod Italia solo & cælo suo debet in hortis, industriæ hic & culturæ debetur. Recreari mitiore Bavarix aera, dum Alpes Rhæticas supe-

64 LVD. HEN. LOMENII
ramus, rursus niues media æstate
experimur : quibus tamen faten-
dum inesse suam amœnitatem ,
dum per salebras & fragorem, ca-
dentium aquarum aspergine ver-
nans planities irrigatur. Præluceat
inter inhospita montium tesqua
Oenipontium , Oenipontani Ar-
chiducis Austriæ domicilium ,
sic a flumine dictum. Mutuorum
Caroli V. & Ferdinandi fratris
amplexuum memoria tali inscri-
ptione ad radices Brenni celebra-
tur. Tabella ex ære fraternas ima-
gines refert.

IMP. CÆS. CAROLO V. P. F.
AVG. EX HISPANIIS ITALIAQVE
SVSCEPTIS IMPERIALIBVS CO-
RONIS ADVENIENTI ET FERDI-
NANDO HUNGARIÆ BOHEMIÆQVE
REGI E PANNONIIS OCCVRENTI
OPTIMIS PRINCIPIBVS AD PER-
PETVAM

FETVAM PVBLICÆ LÆTITIÆ MEMORIAM QVOD FRATRES ANTE AN. VIII. DIGRESSI SVMMIS INTER MORTALES HONORIBVS REGNIS TRIVMPHIS AVCTI HOC IN LOCO SALVI SOSPITESQVE CONVENERVNT ANNO SALVTIS M. D. XXX.

Nos Tridentum excipit ad Athesim, quod cœtu illo Ecclesiastico, toti orbi Christiano inclarescit. Eluctati scopulos & ardua rupium, Clausa & Bassano optatam Italiam intramus, meliore cælo stupefacti. Citreis & myrtetis loca olentia placent. Mestra Venetias III. Id. Iulias appulimus, Adriatici maris reginam, prudentiæ sedem. Firmata est vrbs in vndis, miraculum orbis. Ibi Lomenius a Senatu variis muneribus donatus, & ab oratore nostro Argensonio per quindecim dierum moram ho-

E

66 LVD. HEN. LOMENII
spitio honestissime habitus Pata-
uium petiit , quæ Antenora fun-
datorem iactat , T. Liuij cunis &
tumulo superbit. Succedunt Vi-
centia , vrbium Venetæ ditionis
in continenti primogenita ; Verona ,
Plinij & Catulli patria , suo
amphiteatro & Scaligerorum tu-
mulis insignis ; Mantua , Musarum
sedes , ad cælum euecta Maronis
carmine , in medio lacu posita ,
quem Mincius Virgilio tantopere
celebratus interfluit , Gonzagarum
lares olim splendore suo , nunc va-
stitate conspicui : Ferraria , in fertili
planitie sita , Atestinos proceres
quondam dominos habuit ; nunc
Pontifici paret : desolata ciuitas , in-
frequentia incolarum , & aëris no-
xio afflatu : Ariostum & Tassum sibi
vindicat. Prioris tumulo inscriptos
versus hic ascribendos duximus ,
suo lepore Ariosto dignos.

*Notus & Hesperii iacet hic Ariostus, & Indis,
 Cui musa aeternum nomen Hetrusca dedit.
 Seu satyram in vitia exacuit, seu comica lusit,
 Seu cecinit grandi bella ducesque tuba.
 Ter summus vates, cui docti in vertice Pindi
 Tergemina licuit cingere fronde comas.*

Findimus dorsum Apennini : Bononiam subimus, quæ pingui solo ciuibus abundat. Per caniculæ infestum sidus, amœno Florentiæ secessu recreamur. Etruriæ dominatrix, liberalibus artibus floret. Nihil omissum a Duce, quo Brienneum deuinciret. Statuæ, picturæ, nobilissimorum artificum manus illic abunde, nondum vetustatis iniuria victæ, & Bonarotæ rudimenta cum ipsius naturæ veritate certantia. Elapsis infestis diebus, Pistoia, & Luca in media Etruria libertatis retinente, Pisas & Liburnum tenuimus. Illa ad Arnum, olim imperium Italiæ

68 LVD. HEN. LOMENII
affectauit ; nunc deformata , flet
damna seruitutis : hæc , portus
infernæ maris fluctibus obiectus ,
asylum fidum infortunatis. Inde
Senas , urbem Monlucij nostri
propugnatione illustrem. Ditione
Magni Ducis Radicofani relicta ,
in Pontificiam intramus , & visa
Aquapendente , Monte Fiascone
pernoctauimus nondum præcipiti
sole. Neque enim libuit ulterius
progredi , non plene gustatis cele-
berrimis liquoribus & insalutatis
manibus , vel hoc solo nomine in-
cliti Germani Episcopi , quod in
cado illic sepulcrum sibi condi-
derit. Procul fabulæ vanitas : cry-
ptam subiuiimus in fano Diui Fla-
uiani , vbi incisus lapis effigiem re-
fert famosi Præsulis , cui non turpe
fuit pastorale pedum mitramque
poculis aggregari , etiam pedibus
admoto dolio. Rem a maioribus

acceptam sic incolæ recitant. Sacra loca lustraturus religionis ergo Fugius Ecclesiastes, famulum quem in vino fidelem expertus erat, antemittebat prægustatorem, vt delibata meri saluæ indicium cauponarum ostiis creta affigeret, hoc monosyllabo EST, duplicato aut etiam triplicato pro vini præstantia. Vua Fiasconia minimum Falernæ inuidens triplicem notam commeruit. Herus nullatenus sublestam fidem combibonis serui expertus, etiam fatali experimento innumeris ciathis animam impendit: munera adscriptis promissis ex fide Germanica vberiora ferens. Non aliter Alemannus, si sacram dignitatem demas, dignus erat annos deponere. Afflictus famulus hoc epitaphio etiamnum Lyæum & sincerum cor redolente, suum mœrorem testatus est.

E iij

70 LVD. HEN. LOMENII

EST. EST. EST. PROPTER. NIMIUM.

EST. HIC. IO. DE. FVG. D.

MEVS. MORTVVS. EST.

Altera luce Viterbium nos & historia & Bromio hilares exceptit. Inde Roma xi. Kal. Octobr. Satius de ea filere, quam toties a doctissimis viris edita hic transcribere. Cum sole dispersit sua iura: & quod olim armis, nunc religione tenens, satis superque vel solo nomine nota est. Si cæteras quoque Italiæ vrbes obiter libauimus, exorent veniam qui tam præclarum argumentum occuparunt: quod enim diutius sumus vilioribus locis immorati, honorem scilicet neglectis, obscuris lucem addebamus. Ideo consultius visum, Italiæ regimina non attingere, quia ante omnia de Romana arte politica dicendum erat. Sacra li-

M. mina insistere, nulli fas profano:
i- præterquam quod regendi ratio-
it. nem instabilem reddit ingraue-
a- scens summorum Pontificum ætas,
o- & exinde crebra eorum mutatio.
i- Romæ mensem circiter Lomenius
a: impendit, impar spatium vestiga-
o- tionis tantæ vr̄bis. In ædibus Car-
i- dinalis Mazarini, quas Lioneus
a: tunc inhabitabat, diuersatus est.
o- Vix stilius æquet comitatem & mu-
lo- nificentiam, qua exceptus ab illo,
o- qui primus crescentis indolis fau-
i- sta semina suis litteris per aulam
s- nostram sparsit, attollens animi
: dotes suo iudicio. Ad osculum pe-
i- dum Alexandri VII. Brienneus ad-
i- mittitur. Cumque ad Lauretanas
l- aras procubuisset, & loci veneratio-
, ne animum impleuisset: Romam
, redux, Genuensi triemi se com-
e- mittit. Inopina maris cum Cardi-
- nale Grimaldo feliciter superauit.

Genua nos biduum tenuit, mirabundos ob situm vr̄bis & superba ædificiorum. Pendentem scopulis arcem Monæci visimus, a Principe cultissime habiti. Tandem maris & viarum fessi, Gallicis or̄is alabimur. Votorum rei, ea in rupe excisa Magdalena exoluimus. Moræ Lomenius impatiens, dulcissimos parentes & patriam citius vt reuiferet, equis cursoriis Parisios aduolat. Redditur penatibus XIII. Kal. Decemb. anni M. DC. LV. Lacrymæ in gaudia, quin & gaudia in lacrymas versa. Cardinali Mazarino, penes quem summa rerum, adesse prima cura est Lomenio, mandata muneris ac leges accepturo, & tanto sub nomine posituro vitæ rudimenta. Sic eundem atque Rex viæ ducem, sed longis interuallis, sequens, non potuit aberrare. Institisti, maxime Principum,

monstrata tibi vestigia : & per re-
gendi normam recta comprobasti.
Sed humana consilia quam imbecilla,
nisi dirigat summus ille moderator,
cuius ad nutum, Domine,
tanti imperij fræna temperas. Res
agit ille tuas, gaudentibus populis,
quorum felicitatis apex, viuere tuis
moribus, ita castigatis, vt quemad-
modum tuæ magnitudinis est, posse
quantum velis ; ita moderationis,
velle quantum possis.





NICOLAI SANSON
 ABBAVILLÆI,
 IN
 ILLVSTRISSIMI
 BRIENNÆ COMITIS
 ITINERARIVM,
 INDEX GEOGRAPHICVS.

ABO, ad fluentum Auraioki sita, vtriusque Finnoniæ metropolis, septentrionalem a meridionali separat, & Botnicum sinum a dextra, Finnicum a sinistra spectat.

ADRIATICVM mare siue Adriaticus sinus dicitur vulgo *Golfo di Venezia*, toto enim hoc sinu Respublica Venetorum dominatur.

AMISIA, vulgo *Embdem*, vrbs & fluius eiusdem nominis: in eo Germanicus Bructeros nauali prælio vicit. Urbis portus amplissimus est, e quo ad vallum & mœnia vrbs facilis est nauium accessus.

INDEX GEOGRAPHICVS. 75

ANGERMANNIA in Sueciæ regno prouincia, Nordlandicarum vna, vbi & Angermanus est fluuius, & ciuitas vnica Hernofandia.

AMERSFORDIA vrbs in ditioe Ultraic-
tensi, quæ inter fœderatas Prouincias vna.

AMSTELODAMVM, v. *Amsterdam*, ciuitas quæ centum abhinc annis in tantam amplitudinem & opum abundantiam excreuit, vt etiam si inter socias sex Hollandiæ vrbes primum in comitiis non obtineat locum, potentia tamen eas longe superat.

AQUAPENDENS sic nomen sortita est a decliui colle, & scaturientibus aquis.

ARGENTORATVM, v. *Strasbourg*, Alsatia metropolis; inter cuius dotes est & inuentio typographices artis, de qua iustius illa quam aut Harlemum aut Maguntiacum gloriari debent, vt Seragius Germanice, & Mentelius Latine, luculentissime probarunt.

ASCHAFFENBURG ad Mœnum Canonico-
rum collegio & Maguntiaci Electoris secessu
nobilatur.

AVGUSTA VINDELICORVM, v. *Augsbourg*,
ad Licum amnem, Sueuiam a Bauaria dirimit.

BALTICVM mare nomen habet a peninsula
illa maxima septentrionali, quam incomper-
tæ magnitudinis & alterum orbem terrarum dix-
erunt antiqui; Baltiamque vocauerunt, cuius
pars hodie *Belt* vocatur. Varia sortitur nomina,
cum Daniæ, Gothiæ, Sueciæ, Borniæ,
Lapponiæ, Finnoniæ, Liuoniæ, Borussia
& Germaniæ alluit.

BASILEA, v. *Basel*, Germaniæ vrbs impe-

rialis, in fœdere Heluetico nonum nunc obtinet locum. Ea ad vtramque Rheni ripam posita ex ruinis Augustæ Rauracorum incrementum sumpsit.

BASSANVM inter Couetiacam arcem & Patauium urbem in vale arctissima quidem sed amœnissima.

BEPORTIVM in Sungouia Alfatia, nunc Christianissimi Regis imperio parat, vt & tota pene Alfatia.

BELGIUM eas continet prouincias quæ ad Rheni inferiorem partem positæ, primum Burgundiæ Ducibus, posteaque Austriacis paruere; harum alteræ in eadem permanferunt dominatione, Belgiique Hispanici nomine donantur: alteræ fœdus inter se inierunt, quod Belgio confœderato nomen dedit.

BIORNEBURGVM in Finlandia Septentrionali vrbs ad ostium Cumo fluuij.

BLONICVM vrbs in confiniis Polonia inferioris & Mazouia, tota lignea est, quamuis spatiosa.

BOMMELIA inter Mosam Vahalemque in insula sita, v. *Bommelinert*, in Ducatu Gueldria ad tractum Batauicensem pertinet.

BONONIA in Italia Cispadana regione sita ex vberissimo circum vicinorum prouentu, v. *Bologna la grassa* audit. Ea inter celeberrimas Italiae vrbes habita, Bentiuoliis olim aliisque paruit, nunc summo Pontifici.

BORGVS, v. *Borgo*, in Nilandia littore iacet ad Finnicum sinum.

BORMETOMAGVS Vangionum, postea-

INDEX GEOGRAPHICVS. 77

que Vangiones, & Vormacia, v. *Vorms*, ciuitatum Gallia in Germania prima, vrbs imperialis & episcopalis, comitiis & conuentibus imperialibus multis inclaruit.

BOTNIA Occidentalis, & Botnia Orientalis, obtinent vltimam eamque Seprentrionalem maris Baltici partem, quæ ab aliis sinus Bornicus dicitur, & quæ sub Lapponibus est.

BRAVNSBERG vrbs in Vvarmia, tractu Prussia, qui Regi Polono paret, Hanseatici est fœderis. Eius Archiepiscopus in imperij comitiis suffragij ferendi ius habuit: nunc Archiepiscopus in Ducatum ciuilem mutatus coronæ Suecicæ paret, vt & vrbs ipsa saluis libertatis imperialis iuribus.

BRINNVN, olim secunda Morauia ciuitas, & in qua Episcopi Olmucensis ædes, & statuum prouinciæ palatium, nunc primum obtinet locum propter obsidionem, quam aduersus Suecos sustinuit Souchio Gallo defendente.

BRISIACVS siue Mons Brisiacus, v. *Brisac*, vrbs in Alsatia, & ad Rhenum sita, inter Augustam Rauracorum, & Argentoratum Triboccorum, optime ea nunc munita Regi Christianissimo paret.

CHILONIVM, v. *Kyel*, in Ducatu Holfatia, Duci paret. Huius Ducatus pars altera Regi Dania, altera Holfatia Duci subiecta est.

CLAROMONTIVM, cænobium est, extra Chestochovva oppidulum Polonia. In cænobio imago D. Mariae cernitur, quam S. Lucas piatxisse fertur, eaque peregrinationibus frequens multis ditata est donariis. Locum Sueci

obsidione cinxerunt an. 1655. iterumque 1656. irrito conatu.

CLAYS A siue Coueliacum, Tirolensis ducatus, castrum in alta & prærupta rupe excisum, & ad quod nullus nisi per funem ab alto demissum aditus.

CODANVS sinus, antiquis pro toto mari Baltico, aliis pro prima huius maris parte, & quæ Oceano propior sit, intelligitur. Insula Codanoma ea est, que v. *Zeeland*, vbi Hafnia, vulgo *Copenhaguen*, Daniæ regia.

COLMENSEC in Prussiæ ducatus parte, quæ Polono paret, episcopi Culmensis, qui etiam Lobauiensis sedes.

COLONIA Agrippina ad Rhenum, à veteribus Vbiorum oppidum dictum est. Vrbs est imperialis & archiepiscopalis, omnium totius Germaniæ ciuitatum dicitur amplissima.

COMARA in extrema parte insulæ Danubianæ, *Schut*, munitissimum est in Hungaria Christianorum contra Turcas propugnaculum.

CRACOVIA regni Polonici primaria est, v. *Cracon*, in qua arx & palatium Regis.

CRVSCHVRA Poloniæ oppidulum.

CVPRIMONTIVM oppidum iure municipali donatum, cuprifodinas habet præstantissimas. Ibi stupenda videas, vt ait Andreas Bunnæus Suecus, quæ lucri cupiditas imis in rupium visceribus, immensis & plusquam gigantes laboribus excauit.

CVRLANDIA ducatus olim Liuoniæ pars, nunc sui iuris suo Duci paret, qui quod Polono Regi obnoxius a Succis nuper male ha-

INDEX GEOGRAPHICVS. 79

bitus, sed & tandem suis restitutus fuit.

DELMENHORSTIVM Comitum Oldenburgensium oppidum & comitatus.

DELZILIVM arx ad Amisicæ ostium in dominio Groningensi, quæ Prouinciarum fœderatarum vna.

DELPHI v. *Delft*, Hollandiæ vrbs nitida, in qua Guillelmi Arausionensium Principis monumentum, ab ordinibus Belgicis fœderatarum Prouinciarum positum, cum hac inscriptione.

D. O. M.

ET ÆTERNÆ MEMORIÆ
GVLIELMI NASSAVII,
SVPREMI ARAVSIONSIVM PRINCIPIS,
PATRIS PATRIÆ,
QVI BELGII FORTVNIS
SVAS POSTHABVIT,
ET SVORVM:
VALIDISSIMOS EXERCITVS
ÆRE PLVRIMVM PRIVATO
BIS CONSCRIPSIT, BIS INDVXIT,
ORDINVM AVSPICIIS
HISPANIÆ TYRANNIDEM PROPVLIT.
VERÆ RELIGIONIS CVLTVM,
AVITAS PATRIÆ LEGES
REVOCAVIT, RESTITVIT.
IPSAM DENIQVE LIBERTATEM,
TANTVM NON ASSERTAM,
MAVRITIO PRINCIPI

PATERNÆ VIRTVTIS HEREDI, FILIO,
 STABILIAM RELIQUIT,
 HEROIS VERE PII, PRVDENTIS,
 INVICTI:

QVEM PHILIPPVS II. HISPANIARVM
 REX,

ILLE EVROPÆ TIMOR TIMVIT,
 NON DOMVIT, NON TERRVIT,
 SED EMPTO PERCVSSORE
 FRAVDE NEFANDA SVSTVLIT,
 FOEDERAT. BELG. PROVINC.
 PERENNI MERITOR. MONVM.
 P. C. C.

DORDRACVM, v. *Dordrecht*, vrbs inter
 Mosæ & Vahalæ æstuarium sita, primum inter sex
 primas Sudhollandiæ vrbes obtinet votum,
 cudendæque monetæ sola ius habet, tum &
 Prætor, & Consules vrbs insignia comitatus
 adepti, stipulatoribus hastatis per vias vtuntur,
 quod nulli vrbiū magistratui per hæc pro-
 uincias concessum.

DVBLINVM, v. *Dublin*, Semigalliæ siue
 Curlandiæ ducatus oppidum.

DVSSELDORPIVM, v. *Dusseldorp*, du-
 catus Montensis primaria, & Ducum Neo-
 burgensium, qui ducatum hunc cum Iuliacensi
 tenent, sedes.

ELBINGA inter Borussia siue Prussia du-
 catus maioris vrbs vna, emporium est celebre
 in Hanseatico fœdere, & quod paucis abhinc
 annis

INDEX GEOGRAPHICVS. 81

annis a Sueco captum, nunc Polono Regi redditum, Electori etiam Brandenburgico promissum, pecunia data Poloniae Regi seruatum est.

ESTHONIA Liuoniae pars septentrionalior, vt & Letonia meridionalior.

FERRARIA, sub Aetstinatorum dominio ita floruit, vt inter primas Italiae vrbes locum obtineret, & aliquanto Bononia amplior, & celebritate gymnasij illustrior fuit. Anno 1570. intra 40. horas terrae motus plusquam 150. perpeffa, aedibus sacris tum & publicis priuatisque concussis magnum damnum sustinuit, nunc ad Sedem Romanam deuoluta, in meliorem statum reparatur.

FIASCO, v. *Monte Fiascone*, oppidum muscatello vino generosissimo celeberrimum.

FINNONIA regnum olim, nunc regni Suecici pars, in plures distincta est prouincias, quarum nobilior idem nomen retinet, caeterae a situ nomen habent. Septentrionalis ad Botnicum sinum sita, meridionalis ad Finnicum.

FINNICVM mare siue Finnicus sinus a mari Baltico secedens inter Finnoniam & Liuoniam per ducenta & quinquaginta millia passuum ad orientem sese extendit.

FLENSEBURGVN in ducatu Slesvicensi vrbs & districtus, Regi Daniae subest.

FLORENTIA ad vtramque Arni ripam condita, nunc inter celebriores Italiae vrbes pulchra, *Fiorenza la bella* dicitur, siue propter platearum, palatiorum, templorum, aliorumque elegantiam, siue propter picturas statuasque fere vbique positas. Ex ea ciuitate tot Architecti,

F

Pictores, & Statuarijorti sunt, quora nulla alia Europæ vrbe. Florentiæ hodie dominantur, vt & in tota pene Thufcia, Medici.

FRIDERICOBVRGV M, olim monasterium sancti Spiritus, ex quo, religione Danorum immutata, Herletus e familia Trellorum, Eques auratus castrum fecit: sed cum loci aemunitas Friderico secundo arrideret, in regiam ædem conuertit, magnificaque auxit structura.

FRISIA ORIENTALIS Germanici imperij in circulo Vvestphalico comitatus insignis, qui & Embdanus a metropoli vrbe *Embdem* dictus. Vide AMISIA.

GABINI VM, *Gambin* scribunt incolæ, Poloniæ vrbs in via ab Vratislauiav Varsouiam.

GEDANVM, v. *Dantzick*, anno 1656. Suecicis totam Prussiam & Poloniæ maiorem partem occupantibus pene vrbs sola restitit, & Poloniæ fidelis mansit. Eam vrbein inhabitant præter inquilinos variam religionem colentes, qui tamen a magistratu prudenter seruantur.

GENVA Liguriæ metropolis, & reipublicæ nobilissimæ caput, non tantum totam Liguriæ oram, & Corsicam insulam etiamnum obtinet, sed & quæ olim sub suo tenuerit dominio nobilissimas insulas Sardiniam & Cyprum in mari mediterraneo, Chium in Ægeo, Caffam aliasque vrbes in Taurica Chersoneso, Afaphum ad Tanaïm, & plures alias. Nunc superba vrbs dicitur propter ædium palatiorumque amplitudinem & pulchritudinem.

GESTRICIA Sueciæ regni inter Nordlandicas prouincias vna, ferri fodinis abundat gra-

INDEX GEOGRAPHICVS. 83

noque, quantum ad colonorum vsum opus est.
GORCOMIVM in Hollandiæ comitatu vrbs
opulenta & probe munita, ad dexteram Vaha-
lis ripam posita; ab eius turri cælo sereno pagi
plurquam viginti, villæque plures conspici
possunt.

GOSTINIA vrbs, & vt vulgo dicitur Ca-
stellania Poloniæ in Palatinatu Rauensi nobili-
tatur carcere Demetrii Suiscij magni Ducis
Moscouiæ, qui in huius vrbs arce diu deten-
tus tandem periit.

GOTTORPIVM, exiguo ab vrbe Slesvvi-
censi interuallo arx est valida, sedes Ducum
Slesvici & Holsatiæ. Hic boues singulis annis
e Iutia, v. *Inland*, in Holsatiam transeuntes
ad quinquaginta millia vestigal pendunt.

GRAVDENTIVM, v. *Grudentz*, Prussiæ Po-
lonicæ oppidum amœnum, & ad Ossa ad Vistu-
lam influentis, ostium.

GRONINGA prouinciæ eiusdem nominis
caput, omnium Frisiæ vrbiū maxima, cu-
ius academia non est incelebris.

HAGA COMITIS, Gallice *la Haye*, inter
Hollandiæ comitatus pagos primum facile ob-
tinet locum. In eius vicinia exstat sepulchrum
Margaritæ Comitissæ, quæ quod pauperculam
mulierem duos vno partu enixam infantes con-
uitiis impetiisset, ipsa vno postea partu tot pro-
miscui sexus infantes enixa est quot in anno dies.

HAMBVRGVM, v. *Hambourg*, non Hol-
satiæ solum, sed & Germaniæ celeberrimum
emporium, vt pote quod ad Albim qui per
mediam fluit Bohemiam & Germaniam, situm

nec longe ab Oceano. Vrbs imperialis & Hatrefatica secundum locum obtinet, quamuis Lubecam magnitudine, opibus & frequentia superet.

HARLEMVM, v. *Haërlem*, inter sex Sud-Hollandiæ primas ciuitates secundum habet vorum; amœnitate vt salubritate commendatur. Eotypographiam abs vno ex suis primum inuentam statim oggerunt omnibus huc appellentibus ciues. Habet hæc ciuitas & alia nomina, inter quæ est illud quod lanificio excellat.

HELIGENA, v. *Heligauv*, in maris Baltici littore sita est ad Suctiam fluuium.

HERBIPOLIS, v. *Vintzburg*, imperij episcopatus celebris, cui Franconiæ ducatus titulus annexus est: valida arce propugnatur. In castro ultra Mœnum Liberi patris spelæum amplum & profundum est, vbi stupendæ magnitudinis vasa 150. doliorum capacia vinum vetustissimum & nobilissimum feruant.

HOLMIA, v. *Stockholm*, non Vplandiæ tantum, sed & totius regni Suecici vrbs pulcherrima & Regum sedes.

HVDVVISVVALDV M Helsingiæ vrbs, in littore maris Baltici, & ad Botnicum sinum, cuius ciues butirum, sebum, coria, pelles, picem, resinam, trabes & cuprum alias in regiones deportant.

HVMA siue Vma ad ostium fluminis eiusdem nominis, in Lapponia.

IAVARINVM, v. *Rab* Hungaris, *Genner* Germanis, castrum est siue oppidum totius

INDEX GEOGRAPHICVS. 85

Hungariæ contra Turcas munitissimum.

LENEKOPIA in Smalandia, Ostro-Gothicæ regionis prouincia, vrbs nec muris clausa, nec fossis munita, tota lignea est, ad meridiem lacus *Vether* posita.

KONIGSBERGA Prussicæ Ducalis, & quæ Electori Brandenburgico paret, metropolis. Aula Ducis in colle magnifice extructa est. Tribus olim partibus distinctaerat, Kœnisberg, Kniepholt, Lebenicht, quæ nunc muro eodem cinctæ amplio rem reddunt, & Gedano forsan æqualem.

LAPPONIA Suecica Botniam Occidentalem totam occupat a mari Baltico ad montes vsque, qui Sueciæ regnum à Noruegia separant. Diuiditur in Marchias quinque *Vmalapmarck*, *Pithalapmarck*, *Lutalapmarck*, *Tornelapmarck*, *Kimilapmarck*, quæ singulæ ab Vma, Pitha, Lula, Torne, & Kini fluuiis maioribus quibus irrigantur, sic denominatæ, ad singulorum fluuiorum ostia suum habent oppidum.

LAVRETVM siue Lauretanæ ædes, vbi Deiparæ Virgini Mariæ domuncula, toto orbi Christiano notissimæ, & peregrinantium concursu ita frequentatæ, & votiuis donariisque ita ornatæ, vt celeberrimæ habeantur

DEIPARÆ DOMVS
IN QVA
VERBUM CARO FACTVM
EST.

LIEVRNVM, v. *Linorno*, maris Etrusci portus optimus, & in medio Romam inter & Genuam cursu positus.

LINCOPIA ciuitas in Ostro-Gotlandia siue

Gothia Orientali, Ioannis & Olai magni historicorum patria, non spatiosa quidem sed amœna.

LINGONES, v. *Langres*, pro vrbe quæ primum Andemantunum dicta, sita est in Lugdunensi prima.

LIVONIA a centenis aliquot annis in plurimum ditionem venit; ei quidem primum dominabantur Crucigeri milites, Equites deinde Teuthonici, Poloni deinde, postea Mosci, tandem Suecorum est. Eius caput Riga.

LYBECA libera & imperialis ciuitas inter Vandalicas & Hanseaticas vrbes primum habet votum: ad maris Baltici sinum sita est, inter Holsatiam & Mekelburgum. Emporium est celeberrimum, cuius potentiae argumentum est quod vna cum Daniæ Rege non alieno sed sui ærarij præsidio, contra potentem Sueciæ Regem, priuilegiorum causa in octennium terra marique sociale bellum sustinuerit.

LYCA inter Tuscas vrbes libera & munitissima, negotiatorum & industriorum ciuium plena, angustis pressa finibus, rerum tamen omnium copia abundat.

LYGDVNVM Batauorum, v. *Leyden*, ad antiquum Rheni alueum, vrbium Hollandiæ ocellus dicitur, tantus est vrbis nitor locique amœnitas. Obsidionem ab Hispanis factam acerrime repulit, ex quo prima libertatis auspicia capta sunt. Academiam habet florentissimam, inter sex primas Hollandiæ vrbes quartum habet locum.

MANHEMIVM castrum, siue arx ad confluentes Nieri & Rheni, quam Valentinianus

INDEX GEOGRAPHICVS. 87

magnis olim molibus communiit.

MANTVA in medio lacu Miucio posita, vt situ munitissima, sic & ædificiis publicis priuatique decora est, & antiquissima. Eam commendant Gonzagarum ædes.

MILLAKVLA in Finlandia septentrionali inter Bierneborg & Abo, nec longe a mari Baltico.

MITTAVIANA arx exiguum etiam si primum Semigalliæ oppidum, arx vbi Curlandiæ Ducum sedes splendide ædificata. Dux ipse Polono obnoxius, Curlandiam & Semigalliam possidet.

MEMELIVM in conspectu & ultra Curo-nensem lacum, Prussiæ tamen est oppidum munitum in confiniis Samogitiæ, quæ ad Lithuaniam pertinet.

MESTRA ad Musonem fluuium oppidum nunc apertum: urbem opulentam fuisse ruinæ etiamnum demonstrant. A Taruisio 10. mill. Ital. a Venetiis 7. distat.

MAGVNTIACVM, Gallice *Mayence*, Tacito & Ptolomæo, quam in Germania inferiori male locat, inter primas totius Germaniæ vrbes locum tenet. Archiepiscopus inter omnes imperij Electores, Principesque primum dat votum. Arx Electoralis ampla: Academia illustis, quam S. I. Patres moderantur.

MONACHIUM, *Munich*, in Baviariæ superioris ducatu ciuitas ad fluuium Isarchum, qui v. *Isar* dicitur. Ducis & Electoris Baviariæ sedes, amoenitate inter vrbes Germaniæ maxime excellit. Principis aula magnificentissima ingen-

tem habet & locupletissimam 40000. voluminum bibliothecam, picturisque est ornatissima.

MONOECI arx antiquis scriptoribus fuit notissima, quæ vel a templo Herculi dicato, vel ab Hercule in Geryonem proficiscente, Portum Herculis eam nominauerunt. Suo paret Principi.

MONS BELLIGARDVS, *Muntpelgard* Germanis, Gallis *Montbeliard*, Ducum Vviterbergensium sedes & comitatus sub Vogelo monte.

MONS BRISIACVS inter Augustam Rauracorum & Argentoratum, munitissimum castrum, a Germanis & a Gallis summo pere expetitum his tandem cessit.

NERVA aut Narua in Theut-Naruam, idest Germanicam, & Rus-Naruam idest Moscham diuiditur: hæc trans Naruam flumen in Ingridia, illa cis Naruam in Liuonia sita est. Vtraque nunc Sueco paret, ex quo Ingridiam Moschus Sueco cessit. Vrbs est non magna, sed munitissima.

NICOPIA Caroli Sudermaniæ Ducis sedes antequam ad regnum Sueciæ vocaretur, emporium est regionis primarium.

NORCOPIA Ostro-Gothiæ emporium inter geminum stagnum dulce salsumque positum: optima salmonum e falso in dulce stagnum ascendentium piscatione fruitur.

NORIMBERGA, *Nuremberg*, Noricorum mons dicitur. Ciuitas in medietate non Germaniæ modo sed & Europæ, si Moscouiam ab Europa remoueas, posita. Vrbs est imperialis

INDEX GEOGRAPHICVS. 89

Inter Franconiam Bauariamque, cuius politia olim democratica, nunc aristocratica, inter precipuas Germaniæ vrbes imperialescensetur. Senatus vrbs a Friderico III. Imp. ex Italia in Germaniam redeunte, & per Norimbergam transeunte, interrogatus quam industria tantam multitudinem a tumultu & seditionibus continere posset, respondisse fertur, verbis & verberibus; bonos scilicet & optimos verbis & rationibus ducendos, prauos autem & serviles multis ac verberibus compescendos.

NOVIOMAGVS Batauorum, v. *Niimeghen*, vrbs est nobilissima, ducatus Gueldriæ caput.

NOVIOMAGVS Nemetum, v. *Speir*, vrbs est episcopalis & imperialis, vbi curia siue camera Imperij.

OBERBARTAVIA inter Dublinum & Heligonam vrbes Curlandiæ posita.

OENIPONS Archiducum Austriæ in comitatu Tirolensi ciuitas & sedes.

OLDEMBVRGVN vrbs & comitatus Imperij, ad sinistram Visurgis ripam sub suo comite nuper, nunc in plures partes hæredesque abiit.

OLOMVCIVM Moraviæ ciuitas, episcopatu insignis, antehac regionis primaria, nunc autem quod hæc facile Sueco deditisset se, Britannumque constanter repulisset; hæc ad primum regionis locum cuncta, illa ad secundum repulsa, Principis iustitiam vtriusque vrbs fors demonstrat.

OPPENHEMIVM in Palatinatu inferiori oppidum siue vrbs, in qua Equitum Theutoni-

corum domus, & arx, sita est ad Rhenum inter Maguntiacum & Vvormaciam.

PANNONIA hic Hungariam describit, Austriæ olim, Stiria, Carinthia, Carniola & Hungaria ad Danubium partes aliquas obtinuit.

PARISIÏ VRBS, quæ primum Lutetia ad Sequanam dicebatur, v. *Paris*, non Gallia modo sed & totius orbis caput & compendium, Christianissimorum Regum sedes, opes immensæ & populi frequentia id testantur.

PATAVIUM, Gal. *Padoiie*, Italiae vrbs vetustissima, Veneris paret: sita est in planitie fecundissima, ex quo Itali dicunt *Bologna la grassa, ma Padoa la passa*. Liuium dedit historiae Romanae scriptorem facile principem. Academiam habet in omni scientiarum genere celeberrimam.

PERNAVIA in Liuoniae littore ad mare Balticum sita, non magno circumdata ambitu, frumenti commercio ditescit, Hanseaticique foederis vna.

PHILIPSBURGVM arx ad Rhenum, quæ antea *Vdenheim* oppidum vocabatur. Illud nomen est sortita a Philippo Spirensi Episcopo: Gallicis armis subacta in Regis Christianissimi ditionem venit, quod & in Monasteriensibus pactis sancitum est.

PISÆ in Italiae regione Thuscia, vrbs olim celeberrima, & quæ aliquando de Liguribus, Carthagine, Sardinia, Sicilia, trophæa multa reportauit, & quæ in Saracenos 40. triremes armavit, nunc pauca supersunt veteris gloriae monumenta.

INDEX GEOGRAPHICVS. 91

P I S T O I A, non magna sed pulchra, opulenta & nobilis vrbs, quæ plano & fertili agro fruitur.

P L O E N A Vvagræ in Holsatia vrbs inter geminum lacum, geminis etiam arcibus firmata est, nec longe hinc arx Rantzouiana eminet, illustri per totam Daniam familia nobilitata. Eam Henricus Rantzouius deiecto veteri fundamento de nouo ædificari curauit.

P O L O N G A, *Polangen*, locus ad mare Balticum in Samogitia inter Hecligauiam Curlandiæ & Memelium Prussiæ.

P O S O N I V M, Germanis *Presbourg*, ad Danubium ciuitas, Hungariæ Christianæ caput est.

P R A G A, olim Marobadui regia, nunc regni Bohemiæ metropolis tribus constat vrbbus, veteri, noua & parua, quarum vnaquæque suum habet senatum.

R A D I C O F A N V M Senensis territorij in Etruria oppidum qua a Senis Romam iter est.

R A T I S P O N A, *Regensbourg*, ad Danubium, ciuitas imperialibus comitiis frequens, nobilissima censetur.

R A V A Põloniæ maioris vrbs & Palatinatus, frequens sed lignea, & cuius arx ad custodiendos alicuius nominis captiuos inferuit.

R E V A L I A, altera Liuoniæ vrbs, vix Rigæ cedit, arce sua nobilitatur.

R I G A Liuoniæ metropolis, & olim archiepiscopalis, commodo portu, & Diuinæ fluij ostio fruitur: Sueco nunc paret Regi, & valido præsidio munitur.

R O M A pro dignitate hic laudari nequit. Tot

in ea sunt antiquitatis monumenta, vt omnium gentium theatrum dici possit. De eius admirandis plures scripsere, qui vix tantæ gloriæ depingendæ pares fuerunt.

ROTTERODAMVM inter sex primas Hollandiæ vrbes nec locum nec votum habet, nunc tamen inter maiores fœderatarum prouinciarum vrbes iure censetur propter mercaturam, quæ Mosa & mari fauentibus, hic imprimis post Amstelodamum floret. Erasmo gloriatur in omni scientiarum genere politissimo, illiusque statuam ære fusam, & quam Hispani in mare proiecerant, ciues denuo ciui posuere.

RVPES MAGDALENÆ, Gall. *la Sainte Baume*, locus in comitatu Prouinciæ, & secessus in monte arduo, in quo Maria Magdalena vltimos vitæ annos solitarie egisse dicitur.

SALA oppidum inter Vplandiam & Nericiam Sueciæ prouincias, argenti fodinis celeberrimum.

SCANIA regio, quæ olim Gothiæ siue Sueciæ, tum Daniæ, & nunc iterum Sueciæ Regi pareat, cum Hollandia & Blekingia.

SCHENKII munimentum in Batavia, *Becture*, parte prima ducatus Gueldriæ, vbi Rhenus in Rhenum & Vahalem scissus, Bataviam insulam amplectitur: arx est probe munita, & aduersus Rheni vndas valide firmata.

SENÆ, vulgo *Siene*, vrbs archiepiscopalis in Tuscia, & quæ in Medicæorum dominio secundum obtinet locum.

SCVLA mons & silua eiusdem nominis, Angermaniam in duas partes diuidit. Mons

INDEX GEOGRAPHICVS. 93

altissimus & præruptus quasi ruinam iam iam minitans horribilis est aspectu.

SILVA DVCIS, *Sherbogenberg* incolis Gallicis *Bosleduc*, ducatus Brabantiae quarta, vrbs magna & episcopalis, natura & opere munitissima, sed quæ in fœderatarum prouinciarum ditionem deuenit anno 1629.

SLESVVICA Ducatus Slesvvicensis metropolis, Holfatiae Duci subiecta, & qui in arce proxima *Gottorp* sedem habet. Ducatus hic partim Regi Daniae, partim Duci Holfatiae, qui etiam Slesvvicensis dicitur, paret. Is tamen Danici Regis est fundatarius.

SCRACHICOVIA Poloniae oppidum ab *Vratislaui* *Breslauu*, *Vvarsouiam*.

SVECIA regnum, quod iam olim sed & paucis abhinc annis maxime innotuit propter præclara quæ in Germaniam, Poloniam, Daniam & Moscouiam perpetravit facinora.

THAVASTIA regio in Finlandia. Lacus habet, ex quibus massæ ferri informes extrahuntur.

TORVNVM, vulgo *Thorn*, emporium Hanseaticum, natura & arte munitissimum ad *Vistulam* cum ponte: diuitiis & incolarum frequentia paucissimis aliis Prussiae urbibus cedit, Regi Poloniae paret.

TRAIECTVS ad Rhenum, v. *Vtrecht*, ad differentiam *Traiecti* ad Mosam, v. *Maëstricht*, suæ metropolis prouinciæ ciuitas, ampla, diues, incolis frequens, Archiepiscopum habet, cui quinque suffragantur Episcopi, *Harlemensis* in *Hollandia*, *Middelburgensis* in *Zelandia*, *Leo-*

vvardensis in Frisia, Groeningensis in Groeningensi dominio, & Daruentensis in Transfulana, v. *Ouer-Iffel*.

TRIDENTVM, v. *Trente*, ciuitas ad Athesim in valle profunda, & inter altissimos montes posita, toto orbi Christiano notissima propter insigne illud Concilium quod vltimum latum est. Dominium siue comitatus Episcopo paret.

VAHALIS Rheni sinister, & in Mosæ ostium cadens alucus.

VALTICOVIA ignobilis pagus inter montem-Belligardum & Basilicam.

VENETIÆ vrbs totius pene Italiæ celeberrima, & quæ non tantum inferioribus Padigionibus & Foroiulensi & Istriæ imperat, sed & mari Adriatico & fere toto Liburniæ & Dalmatiæ littori, pluribusque insulis in mari mediterraneo & Ægæo, maximeque Cretæ, v. *Candie*, in qua contra potentissimum Turcarum Imperatorem iam ab annis viginti bellum sustinet.

VERONA vrbs clarissima & munitissima, etiam tribus arcibus firmata Venetis, paret. Præter palatia nobilium quamplura, publica & priuata ædificia, amphitheatrum antiquum restaurauit, festiuisque quibusdam diebus venationis, ludiquequestres, & pedestria certamina in eo eduntur. Mantua Virgilio, gaudet Verona Catullo.

VESALIA hæc inferior dicitur ad differentiam *Ober-Vvesel*, quæ superior & hæc vltima cis Rhenum ad Treuirenssem Electorem pertinet: illa trans Rhenum & ad Luppiam flumen ad ducatum Cliuensem; sed a fœderatis prouinciis capta etiamnum ab iis detinetur.

INDEX GEOGRAPHICVS. 95

VESONTIO, v. *Besançon*, oppidum Sequanorum maximum, quod flumen Dubis vt circino circum dictum penetotum cingit, vrbs est imperialis, libera & Archiepiscopalis, Burgundiæ comitatus caput.

VICENTIA, nobilissima Italiæ ciuitas, in qua familiæ nobilium 200. hominum 30. millia censa sunt. Theatrum hic crexit nobilissimum Olympicorum academia inscripsitque

OLIMPICIS EXCITAMENTO
CIVIBVS OBLECTAMENTO
PATRIÆ ORNAMENTO.

VIBVRGVM Careliæ caput & sedes episcopalis, fossa propugnaculis & arce ita munita, vt Moscouitas ad centum millia obsidentes aliquoties repulerit. Mercatura fruitur frequenti & opulenta. De spelunca vrbi vicina mira narrantur, sed fabulosa.

VIELISCA oppidum celeberrimum salis fodinis, quas Piaserius vnicum Europæ miraculum nominat. Locus tamen periculo non caret ob terram vndique effossam & cuniculis perterebratam.

VINDOBONA, Germanis *Vvien*, Archiducatus Austriæ metropolis, & Imperatorum Germaniæ iam ab aliquot annis sedes: ad dexteram ripam Danubij sita: propugnaculis, muris & fossis firmitissimum munimentum.

VITERBUM in radice montis, loco plano & irriguo posita ciuitas, quæ vino, frugibus & aquis medicatis abundat.

VLADISLAVIA Cuiaviæ in Polonia infe-

riori primaria vrbs & episcopalis. Vistulæ in loco palustri insidet, tota latericiis domibus ædificata. Episcopatus e Crusuicia vbi Popielus Rex a muribus deuoratus est anno dcccxxiii. in Vratislauiam translatus anno mclxxiii.

VP S A L I A antiqua ciuitas, & quæ aliquando Regum Sueciæ & Archiepiscopi sedes; vbi etiam Reges ipsi inaugurabantur. Templum habet cathedrale totius regionis pulcherrimum, cupro tectum. Regum monumentis ornatissimum est, & horologium artificiosissimum, Academia & arx spatiosa, quæ prospectum habet amœnum.

V V A R S A V I A publicis aliquot Poloniæ comitiis nobilitata; ad Vistulam sita. Nunc secessus est Regina Mariæ Gonzagæ, quem amœno horro & cultis Italo more ædibus decorauit.

Finis Indicis Geographici.



oco
ca-
tex
in
un-
vbi
ra-
n,
ffi-
ca-
ra-
o-
us
or-



ITINERIS
LOMENTIANI
TABVLA
GEOGRAPHICA

AVTORE
Nicolaus
Samson
Illustratione

OCEANVS

MARE MEDITERRANEVM

MARE ADRIATICVM

... loco
... in
... an-
... vi-
... ha-
... m-
... illi-
... ca-
... has
... co-
... tus
... or-

LIBRE MEDITERRANEA

00

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM est autoritate Regia, ne quis in Galliarum regno, hocce *Ludonici Henrici Lomenij, Brienne Comitis, Regi a Consiliis, Actis & Epistolis, Itinerarium*, abique Caroli Patin Doct. Med. Paris. permissu, intra septennium excudat, vendatve; si quis secus fecerit, multa indicta prout amplius in ipso diplomate continetur, coërebitur. Lutetiæ Parisiorum, pridie Kal. Aug. A. S. M. DC. LXII.

MOVSLIER.

PARISIIS,

Excusum in Typographia
Sapientiarum, sub sacro Palatio

M. DC. LXII.

G



PARISIIS,
Excudebat CLAVDIVS CRAMOISY, via
San-Victorina, sub Sacrificio Abelis.

M. DC. LXII.

PARTEIL



PARTEIL

Erster Band des ...

18...

